This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600004499W

32.

42.



M. TULLII CICERONIS

QUAE FERTUR

ORATIO QUARTA

IN

CATILINAM.

RECOGNOVIT, COMMENTARIIS INSTRUXIT,
A CICERONE ABIUDICAVIT

E. A. I. AHRENS.

COBURGI

SUMPTIBUS SINNERI MDCCCXXXII.

42.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

EPISTOLA

AD C. C. P. AHRENS.

FILIUS PATRI S.

Non eram nescius, quum instituerem librum, quem ad te misi, scribere, fore, ut multis reprehendendi materiem praeberem, quibus indignum ac non ferendum videretur, quod e numero orationum Tullianarum orationem, quam inita longo usu familiaritate diu in deliciis habitam vehementer admirarentur, tollere atque illis non minus quam *Ciceroni* eripere ausus essem laboremque suscepissem, quem alii cum honore, qui inde pareretur, locupletiore iure sibi vindicarent. Quibus ut responderem opportune praefandi necessitatem mihi datam credidi. Ac putavi ab iis, qui eiusmodi conatus negarent omnino institui oportere, quamvis te quoque in hoc grege esse non ignorarem, facile veniam impetrari, si modo causa recte defensa satisque probata esset eversaeque opiniones illae vetustate venerabiles. Difficilius utique iis respondebitur, qui in alienam possessionem invasisse me fortasse affirmabunt. Fuerunt enim, qui prius, quam ego rem tractare scribendo coepissem, valde de veritate orationis dubitare se verbo significarent. Qua quidem sententia, quia idem mihi videbatur, ut tibi saepe in colloquiis nostris ostendi, incredibili laetitia affectus exspectabam, ut mox ampliores afferrentur disputationes, quibus ea, quae sentirem, sine meo labore ac molestia, et,

si minus haec metuebam, sine reprehensione mea explicata viderem. Frustra vero exspectabam. Atque ita causa exstitit, cur ipse accinctus ad eum laborem conarer vindicare, quod commune mihi esse cum aliis arbitrabar. Tibi vero etsi dubium non est, quin inventae rei honorem iure meo assumam, tamen non eum me cognovisti, qui tantum mihi arrogem, ut primum me venisse in hanc cogitationem contendam. Quem ego honorem libenter cuivis concessero, ut soleo, si quid neque rustice neque imperite inventum meoque labore et industria ex tenebris erutum in lucem protuli, ab aliis idem prius multoque doctius inventum semper existimare idcircoque illis potius quam mihi deferre. Neque enim video, quomodo, quae ego invenerim, multis aliis in mentem venire ab iisque eruditione et ingenio multo praestantioribus subtilius meliusque elaborari non potuerint. Itaque si laus ulla inventori parta est, cuilibet eam non moleste concedam contentus meo honori attribui, quod primus causam, in qua magnam rem agi putabam, ausus sum publice defendere. Ceterum quibus ego difficultatibus in explicanda sententia distinerer, te non fugit, qui quodam pacto mecum in hoc labore conficiendo versabaris. Atque dicerem pluribus, nisi puderet meam laudem coniungere cum munere, quod tibi destinavi. De consilio, quod sim in iudicando secutus, prorsus tacere non licuit. Itaque paucis expeditum vides. Intelligebam enim, priusquam ad aliam rem animum applicarem, verba orationis esse subtilissime integritati suae restituenda. Atque id quomodo consequaris in libro, cuius similem nullum invenias ideoque certissimo subsidio veri cognoscendi ex similitudine priveris? Quid multa? omisi ea, in quibus fructum videbam nullum; eo me contuli, ubi spes bona ostendebatur. Imprimis codicem Erfurtensem secutus sum hac lege, ut, si eum conspirare cum alio bono libro viderem, non dubitarem id, quod praeberet, probare. Cuius rei causas plerumque subieci, si opus videretur, quemadmodum plurimos locos descripsi, in quibus liber Erfurtensis a meo libro

discreparet. Deinde Lambini rationem habui, ut utrasque eius curas, quas in Ciceronem impendit, diligenter explorarem, aliosque libros vetustos excussi. Atque quum librum Waldarferianum valde laudari a viris doctis animadvertissem, Lipsiae codicem evolvi perquisivique, quid bonae frugis haberet. Sed mox valde taedebat laboris consumpti in libro, quo nullum cognovi ingenio doctorum Italorum crebrius audaciusque interpolatum. His igitur opibus instructus nonnullos locos non iniuria, ut opinor, emendavi plures emendaturus, si licuisset uti copiis, quibus Steinmetz his ipsis temporibus dicitur Ciceronem locupletasse. Habes de libris, qui mihi auxilio fuerint. Accipe nunc paucis de commentariis. In tanta, quantam explicavi, copia argumentorum non te fugiet inveniri etiam, ubi aperta latera petitionibus adversarii dederim. Verum tamen vulneris quidquid infligeretur, putavi ferri posse ut non letiferum, quia pectus satis tectum munitumque videbatur. Ac nisi quis omnia argumenta refellerit et coarguerit, nihil actum est. Nonnulla credo accuratius debuisse a me disputari, ut ea, quae dixi de scribis, de lege Porcia. Quae idcirco omisi, ne longior fieret disputatio rebus alienis. Quod de verbis postremo loco disserui, mihi ita fuit commodum et firmissima his et levissima argumenta confici arbitranti. Nam quid ei rei multum tribuendum sit, quod verbum aliquod nisi in oratione non exstet? Quisquamne neget, multis id scriptis usu venisse? Tu non negabis, qui legeris orationem, quae secunda est in M. Antonium. Itaque leve sane argumentum duxi: gravissimum illud, si verba frequentissime usurpata a scriptoribus semper alia significatione in illorum libris alia in oratione animadvertissem, vel si Tacito, Livio, Suetonio convenirent, non convenirent Ciceroni, denique si qua verba sermo aut Tullianus aut omnium aspernaretur. Ex quo genere non ita pauca vides in disputatione reprehendi ac notari. Ad meam orationem quod attinet, operam dedi, ut emendate scriberem; verum ipse sensi, quam multum abesset

ab eo oratio, quod laudabile existimatur. Veteribus enim sua sponte domi nascebatur, quod nobis vix aut ne vix quidem suppetit multo labore quaerentibus. Nonnunquam consuetudini aliquid dandum existimavi, ut, quid significarem, facilius cognosceretur; saepe coniuratos reos appellavi, iudicium de iis institutum dixi, ita etiam annotationem semel vel bis totidemque locutionem scripsi, quamquam ipse eas voces improbavi. Praeterea imprudens erravi. Quis enim nesciat, quam saepe nobis excidant invitis verba, quorum pravitatem rebus intenti non animadvertamus? Quocirca si a te vel ab aliis et de rebus et de verbis reprehendar, gratiam habebo, quod discam; neque enim is sum, qui, quod reprehendar, doleam, non doleam, quod peccarim, aut rem, quam possem, non investigarim. Menda reliquerunt operae plura quam vellem. Eorum aliquot, quae mihi innotuerunt, indicavi. Quibus tu, opinor, ignosces, qui scias eam mihi fuisse necessitatem corrigendi, ut totum negotium uni mihi neque exercitato in ea re neque eiusmodi laboris patienti iniungeretur, et esse difficillimum, omnia videre in libro, quem totum paene memoria teneas. Accessit novum incommodum, quod operae etiam admonitae non paruerunt praesertim in vocibus graecis, quas misere oderant. Tu vero in bonam partem velim accipias. Haec habui, quae ad te scriberem; iam vide orationem. Dat. prid. Non. Mai. Coburgi.

ORATIO IV.

QUAE FERTUR IN CATILINAM.

[I. 1] Video, Patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos. Video vos non solum de vestro ac reipublicae, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis et grata in dolore vestra erga me voluntas; sed eam, per deos immortales! quaeso, deponite, atque obliti salutis meae de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem si haec conditio consulatus data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem: feram non solum fortiter

5. *sed eam.* Non omnino recte, ut opinor, interpretes pro notione voluntatis de voce latius patente et ex sententia asciscenda cogitandum esse iudicabant. Quae sit voluntas intelligenda, ex verbis antecedentibus planum redditur: quippe sollicitudo de salute consulis; eandemque postea voce *eam* significari iure existimaveris.

7. *Mihi quidem.* Omissa vox posterior est in codicibus aliquot incuria ut videtur scribentium, quorum vitium est, non necessaria verba nonnunquam inducere. Animadvertas licet eandem negligentiam in epist. Cic. ad div. 9, 10 in eadem voce et ea necessaria, et de finib. 2, 24, 78, et pro Sest. 6, 14. Est vero *quidem* in codice Erf., quo uno satis firmatum arbitror. Nec magni faciendi illi codices videntur, qui non aliter paulo ante *quaeso* praetermittunt.

sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis populoque Romano dignitas salusque pariatur. [2] Ego sum ille consul, Patres conscripti, cui non forum, in quo omnis aequitas continetur, non campus consularibus auspiciis consecratus, non

1. *sed etiam.* Lambinus e codice; *verum etiam.*

2. *vobis populoque Rom.* Caratonii sagacitas in codicum obsoletis scripturis detexit vestigia, quae suadent, ut *vobis P. C. populoque R.* scribatur. Sed qui elegantiam sermonis sequitur, tantillo intervallo orationi ceteroquin eiusmodi compellationibus abundanti adiicere ista dubitabit, nixus amplius consuetudine scriptoris patres conscriptos, uno loco excepto (§. 20), semper initio enunciationum appellantis.

3. *in quo omnis aequ.* Nisi multis locis punctisque accussanda oratoris dictio esset, non dubitandum videretur, quin recte cum Gulielmo, Heumanno, Beiero praepositio *in* deleretur. Prisciani autem verba commemorantis auctoritas codicumque omnium tanta est, ut religiosum sit, vel minimum abolere vocabulum; eademque Prisciani auctoritas usum loquendi non esse praepositione violatum declarat, quamquam id de Ciceronis temporibus dici non potest. Interest enim nonnihil, praepositionem admittas an tollas. Illa enim hoc declarabitur, esse aliquid aliqua in conditione vel loco, ibique retineri; si omittitur, hanc habebit vim, ut aliquid quasi terminis comprehendatur. Quod exemplis planum faciemus. In libidine contineri (Cic. parad. 3) is vocatur, qui libidinose vivit; *libidine contineri* hac quidem significatione verbi, qua de agimus, non potest dici, quia, qui libidinose vivit, in eo habet libidinem, quod non continetur. Nec rectius diceretur: occulto contineri; sed praepositio addenda est dictioni (vid. Caes. B. G. 2, 18.). Tum apud Celsum est; *in ieiunio continere,* id est, efficere, ut quis perseveret esse in ieiunio. Tollas praepositionem, neque aliud quidquam, nisi poenam ieiunii, qua quis cogatur, videbis significari. *In officio continere* frequens dictio est significans: efficere, ne quis, quod non liceat, velit facere: *officio contineri* autem dicitur, quod ad officium pertinet eoque comprehenditur. Apud Plinium in epistolis exstat scriptum: *ca-*

curia, summum auxilium omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus ad quietem datus, non denique haec sedes honoris, sella curalis, unquam vacua

vea continere, i. e. cavea efficitur, ne quis exeat. Si vero in cavea contineri avem dicas, locum, quo avis, ne avolet, retineatur, non impedimenta avolandi indicaveris. Iam patebit, utrum admissio praepositionis an omissio in loco, quem tractamus, convenientior videatur. cf. Cic. de offic. I. §. 92. in Cat. 1, 6. Itaque ablativo facile nominativum substitues, cui adhibita praepositione locum non invenies. Haec vero facilis est et expedita distinctio, qua et alia diiudicabuntur exempla, sine ullo negotio et intelligetur, dissimilem esse locum, quem Matthiaeus ex Cic. Tusc. quaest. 4, 51, 65, attulit. Praepositionis usus, id quod ratione potest intelligi, rarior est. Ceterum suadeo, ut consideres, quae sumus de sermone et verbis orationis dicturi, ubi, quomodo similia apud Ciceronem soleant enunciari, simul cognosci poterit.

2. *commune perf.* Lamb. *commune omnium hominum perf.*

2. *lectus ad quietem.* Livium, qui scripsit (40, 10) *nox ad quietem data*, a Cicerone verba accepisse putant. Quem ego sane maxime infantem scriptorem iudicabo, si noctem ad quietem datam, nisi lectis personati Ciceronis verbis, scribere non poterat. Nec pluris Tacitum faciam, si quae libro verba (13, 52) mandavit, a Sallustio (Cat. 55, 6) accepit. Colligant licet ea imitationisque elegantiam admirentur, quibus studium est, verba contueri, negligere necessitatem cogitandi, qua originem illa invenerunt.

3. *sella curulis.* Verba omnium codicum tuetur consensus, tum Scholiorum Ambros. auctoritas, denique Ausonii in gratiarum actione ad Gratianum (c. 2) imitatio. Viri docti sustulerunt glossema rati. Ampliandum censet Orellius; ne deleat Livii (9, 46,) et Ciceronis (pro Sulla §. 8.) auctoritatibus permotus. In quo mireris Orellii acerrimum iudicium falli, mutatis verborum locis condiciones quoque mutari non animadvertentis. Valerium

mortis periculo atque insidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore in vestro timore sanavi. Nunc, si hunc exitum consulatus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos, Patres conscripti, populumque Romanum ex caede miserrima, con-

Maximum (2, 5, 2.) si consuluisset, sane intelligere debebat, aliam fuisse Livio causam scribendi, aliam Valerio praetermittendi. Neque vero solum testimoniorum, quibus ista verba commendantur, gravitas ea, ne abiiciantur, tuetur, verum etiam consuetudo scriptoris eiusmodi amplicatiõnes nimio saepius usurpantis. Nec distinxit reliqua; sella enim curulis eadem intelligatur, quae curia, necesse est (cf. §. 15.).

1. *ego multa tacui.* Sunt qui Caesarem Crassum alios non nominatos inter coniuratos significari a consule putent. Litterarum monumenta veterum rem, quantum sciam, non illustrant. Neque vero eos putaveris intelligendos esse, quos Cicero, quum senatus populusque Romanus de se perniciem, contagionem sceleris de aliis timerent, a Catilinae societate ait se abduxisse. Qui si coniurassent cum Catilina contra patriam, non immunes poena aufugissent, nec unquam eos Cicero conservasset. Vide disput. de erroribus histor.

2. *meo quodam dolore in vestro timore.* Lipsius *sine vestro timore* praepostere emendavit; nam timuisse cives Romanos certum est. cf. orat. in Cat. 1, §. 15. Genus dicendi orationis alii loci infra §. 10 et §. 12 *in pernicie* abunde tuebuntur. pro Sest. 3, 8: in illo summo timore etc. Ceterum si, quod orator fortasse ipse non cogitavit (dicet enim id ex obscuritate verborum vel sententiae ambiguitate colligere), placeat illustrare, explicatio non aegre reperietur. Timor enim iste ad omnes, dolor praecipue ad consulem pertinebat. Aliter tamen rem Cicero distinxit pro Sulla dicens: (5, 9) Tempus agendi fuit magis mihi proprium quam ceteris; doloris vero et timoris et periculi fuit illa causa communis.

5. *miserrima* cod. Erf. Lamb. alii. — cod. *et miseria.* verbum alterum compendio scribendi, alterum emendatione natum.

iuges liberosque vestros virginesque Vestales ex acerbissima vexatione, templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex foedissima flamma, totam Italiam ex bello et vastitate eriperem, quaecunque mihi uni proponetur fortuna, subeatur. Etenim si P. 3
Lentulus suum nomen inductus a vatibus fatale ad perniciem reipublicae fore putavit, cur ego non laeter meum consulatum ad salutem reipublicae prope fatalem exstitisse?

[II. 3] Quare, Patres conscripti, consulite vobis, prospicite patriae, conservate vos, coniuges liberos fortunasque vestras populi Romani nomen salutemque defendite: mihi parcere ac de me cogitare desinite. Nam primum debeo sperare omnes deos, qui huic urbi praesident, pro eo mihi ac mereor relaturos esse gratiam, deinde si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar: nam neque turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti. Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi atque amantissimi praesentis

7. *reipublicae, populi Romani* cod. Erf. admodum digna memoratu scriptura.

13. *deos omnes* Lamb. *mihi pro eo ac mereor gratiam esse relaturos* Lambinus in marg. sec. edit. Doeringio verba *pro eo ac mereor*, Ernestio vox *obtigit* displicuerunt. Uterque correxit; non recte ut opinor. vid. de sermone et verbis. Nos codicem Erf. et Lambini priorem editionem secuti sumus.

15. *Nam neque turpis mors.* sic, Erf. cod. aliique apud Verburgium; Quintilianus quoque videtur assentire receptae scripturae; itaque non dubitavimus, quin probaremus. Hic vero habet *gravis mors* Instit. 6, 3, 109. Vulgati libri *neque enim.*

18. cod. Erf. *et*; reliqui quot innotuerunt *atque.*

moerore non movear horumque omnium lacrimis, a quibus me circumsessum videtis; neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, et abiecta metu filia et parvulus filius, quem mihi videtur amplecti respublica tamquam obsidem consulatus mei; neque ille, qui exspectans huius exitum diei stat in conspectu meo gener. Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, ut salvi sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me oppresserit, potius, quam et illi et nos una reipublicae peste pereamus. [4] Quare, Patres conscripti, incumbite ad salutem reipublicae; circumspicite omnes procellas, quae impendent, nisi providetis. Non Ti. Gracchus qui iterum tribunus

1. *a quibus.* „P. Manutius intelligit senatores amicos. Immo *videtis* pertinet ad senatores omnes. Intelligendi sunt equites, qui Ciceronis sellam circumstabant, immo totum senatum securitatis causa." ERNESTIUS. Apage cum mira illa elocutione, vid. haec inter errores hist.

3. *et abiecta.* sic. cod. Erf. Probavi ex proprietate sermonis latini. Vocem priorem si abiiciendam censes, alteram particulam *et* commode una sustuleris.

6. *stat.* cod. Erf. *stant* vetus Schol. ex reliquis libris notatum nihil animadverti de hac scriptura. Impressi habent *adstat.* huic voci solet nomen, cui quis adstet, addi. Phil. 2, 4, 8. Quid habes quod mihi opponas, homo diserte, ut Mustelae Tamisio et Tironi Numisio videris? qui cum hoc ipso tempore stent in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo.

7. *uti* cod. Erf. Dicerem iusto audacius factum, si quis codicis auctoritatem unius faceret tanti, ut reliquos posthaberet. Itaque in hac voce Erfurtensem, quem non vacuum omnino mendis sciebam, dubitavi sequi.

8. *me vis aliqua* cod. Erf.

10. sic multi codices cum Erf. — *reipublicae salutem* reliqui libri et scripti et impressi.

12. *providetis* sed *a* supra scripto cod. Erf. ut voluisse scriptor videatur *provideatis* exarare. idem postea *Titus Gr.*

plebis fieri voluit, non C. Gracchus qui agrarios concitare conatus est, non L. Saturninus qui C. Memmium occidit, in discrimen aliquod atque in vestrae severitatis iudicium adducitur; tenentur ii qui ad urbis incendium ad vestrum omnium caedem, ad Catilinam accipiendum Romae restiterunt; tenentur litterae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio; sollicitantur Allobroges, servitia excitantur, Catilina arcessitur; id est initum consilium, ut interfectis omnibus nemo ne ad deplorandum quidem populi Romani nomen atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur.

1 et 2. bis pro *qui* cod. Erf. *quod* refert.

4. *tenentur hii* cod. Erf. *sed tenentur* Lamb.

5. *recipiendum* cod. Oxon.

8. *accersitur* Erf. ut ubique. *id est initum* Erf. sed punctis subnotatis sub voc. prior., supra quas *tale* scriptum est. In Coloniensi codice *tale initur* dicitur scriptum reperiri. Non assentior. Si enim quid ratione tribuendum est, *initum* praestat. Antequam Catilina arcessebatur, et servitia excitabantur, consilium aliquod initum oportuit. Oratio tota sententiae, quam exposui, suffragatur; tum vero alius locus, qui exstat in oratione, quae pro Milone inscribitur (§. 80): Non improba lex, non perniciosa largitio, non auditum aliquando aliquod malum reipublicae quaeritur. Inita sunt in hac civitate consilia urbis delendae etc. Temporum ratio non semper ita in oratione habetur, ut constantissime notata ea reperiantur. Tantum vero abest, ut praeterito *initum est* concinnitas sententiarum corrumpatur, ut praesenti *initur*, quo, quod antea cogitandum esset, postea dicceretur, mirifice perturbetur. Itaque non potest hac quidem verborum collocatione scriptura locum habere. Ingeniosa coniecturâ grammatici, qui multa elegantius quam orator constituit, videntur verba illa orta esse.

9. *populi R.* Quod quum apud Lambinum viderem et aliorum librorum praesidio firmatum, denique codice Erf.,

[III. 5.] Haec omnia indices detulerunt, res confessi sunt, vos multis iam iudiciis iudicastis; primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis et mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse coniurationem decrevistis; deinde, quod P. Lentulum, ut se abdicaret praetura, coëgistis; tum, quod eum et ceteros de quibus iudicastis in custodiam dandos censuistis, maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis, qui honos togato habitus ante me est nemini; postremo hesterno die praemia legatis Allobrogum Titoque Vulturcio dedistis amplissima; quae sunt omnia eiusmodi, ut ii qui in custodiam nominatim dati sunt sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.

non dubitavi asciscere. Nam primum illa testimonia sua vi multum valent, tum elegantior videtur antithesis *populi Romani* et *tanti imperii*, denique usus oratoris emendationem postulat. §. 7. qui delere imperium, qui populi Romani nomen exstinguere etc.

1. *haec omnia.* Erf. cod. supra *omnia* v. *ut* habet.

4. *coniurationem patefactam esse* cod. Erf.

5. *Lentulum ut se abdicaret.* Grammaticus, qui rectius Tulliani sermonis proprietatem, quam orator iste perspectam habebat, coniunctione *ut* sublata *abdicare* correxit. Probarem, si orationem Ciceronis esse constaret. Nam etsi haud ignoro, apud Ciceronem reperiri locos, in quibus *ut* cogendi verbum sequitur: tamen id quoque intellexi, eorum locorum conditionem naturamque longe esse diversam, ut necessario requiratur particula. Sunt autem illi: de Orat. 3, 3, 9, Acad. 2, 3, 8. ad Att. 3, 19. Verr. 2, 17, 41. pro Mil. 26, 71 ad div. 12, 30. Tusc. 1, 8, 15. de Fin. 2. ad extr. pro Quint. 30, 91. vide de serm. verbisque. Eadem erat Terentio aliisque adsciscendae particulae necessitas. Hecyr. 2, 2, 26 Andr. 4, 1, 30. Suet. Caes. 20. Plin. ep. 8, 24, 1. Ascon. in Verr. 2, 2 §. 31.

9. Non a me impetravi, ut codicem Erf. hoc in loco,

§ 6] Sed ego institui referre ad vos, Patres conscripti, tamquam integrum et de facto, quid iudicetis, et de poena, quid censeatis. Illa praedicam, quae sunt consulis. Ego magnum in republica versari furorem et nova quaedam moveri et concitari mala iampridem videbam; sed hanc tam tam, tam crudelem haberi coniurationem a civibus numquam putavi. Nunc, quidquid est, quocunque vestras mentes inclinant atque sententiae, statuendum vobis ante

eumque commendandis iudicium Wunderi probarem, neque *hesterna die* scriberem cf. §. 9, 14, 15, 19. Elegantiae enim rationem minus in hac oratione, quam in ceteris Ciceronis libris habendam censeo, praesertim in loco, quem negligentiae in posterum accusabimus. vid. de sermon. et verbis. *Postremo quod hest.* Lamb.

1. *institui referre.* Magna difficultas est horum verborum, quia non constat, quae eis vis subiecta sit. Possunt duo intelligi, aut relatio nova de crimine et poena, aut repetitio et explicatio sententiarum antea dictarum. Utrumque quodam pacto insequentium verborum forma probabiliter obtineri poterit. Si vero hoc oratoris erat consilium, ut denuo auditoribus dictas a Caesare et a Silano sententias proponeret, non opus erat dici *tamquam integrum* se referre. Itaque si praeterea cohortationes frequentes in animum inducantur, relationem eius, qui senatui praesit, intelligi pronius videtur. Magisque adducor in eam opinionem, quod saepe dicitur *rem integram referre.*

3. *praedicam.* Non debebant interpretes vocem compositam parem simplici iudicare. Gravius enim est *praedicere* quam *dicere.* De sensu animus in ambiguo haesit. *Praecipere* enim verbum non significat, nec *serio monere*, quod eo interdum declaratur. Ergo restat, ut vim habeat exponendi ea, quae consulis sint, antequam ad relationem transeatur. vid. Ruhnk. ad Vell. 2, 21. Borrich. vind. denique de serm. verb.

7. *se mentes inclinant* Erf. et cum eo optimi codices tutelam scripturae gerunt. Alii *se* omittunt.

noctem est. Quantum facinus ad vos delatum sit videtis; huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis. Latius opinione disseminatum est hoc malum, manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, et obscure serpens multas iam provincias occupavit. Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest; quacunque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est.

[IV. 7] Video duas adhuc esse sententias, unam D. Silani, qui censet eos, qui haec delere conati sunt, morte esse multandos, alteram C. Caesaris, qui mortis poenam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur. Uterque et pro sui dignitate et pro rerum magnitudine in summa severitate versatur. Alter eos qui nos omnes, qui populum Romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen exstinguere, punctum temporis frui vita et hoc communi spiritu non putat oportere, atque hoc genus poenae saepe in improbos quosque cives in hac republica esse usurpatum recorda-

2. *affines putatis esse.* Erf.

12. *pro sui dignitate.* ita Erf. cum aliis codicibus. Probavit Wunderus, neque ego improbavi. Non enim intellexi, unde originem tam abstrusa scriptura nisi ab oratore acciperet. In aliis libris *sua* exstat.

14. *populum R.* — *r. p.* cod. Erf. non omnino improbabilis varietas.

16. *punctum.* Erf. cod. aliique. Sunt qui habeant *puncto*, alii *per punctum*; utrumque praepostere. Non poenitebit contulisse virorum doctorum animadversiones 2 Phil. 13, 31.

18. *improbos quosque cives* sic cod. Erf., probatus Wundero. Quamquam animus eo tendit, ut aut *cives* aut *quosque* tollatur: tamen orationis prolixitatem contemplatus non dubitavi utramque vocem retinere. *quosque* omittunt libri vulgati.

tur. Alter intelligit mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae, aut laborum ac miseriarum quietem esse; itaque eam sapientes nunquam inviti, fortes saepe etiam libenter oppetiverunt; vincula vero et ea sempiterna certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt. Municipiis dispertiri iubet. Habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis, difficultatem, si rogare; decernatur tamen, si placet. [8] Ego enim suscipiam, et, ut spero, reperiam, qui id quod salutis omnium causa statueritis non putet esse suae dignitatis recusare. Adiungit gravem poenam municipiis, si quis eorum vincula ruperit, horribiles custodias circumdat, et digna scelere hominum perditorum sancit,

5. *esse.* Non servavit vocem codex Erf.

4. *appetiverunt* cod. Erf. Hoc vero male. Non enim consul appetit mortem, sed si postulet salus reipublicae, non recusat oppetere. Comparatio vero non constat, nisi consulem mente comparas. Denique inelegans foret et insolens locutio: *sapientes non inviti mortem appetiverunt*; nec iucundius diceretur: *libenter appetere*, quum nihil sit, quod, si appetimus, non libentes appetamus. In reliquis libris haec verba ita leguntur: *fortes etiam saepe.* Ex cod. Erf. mutavi ordinem.

10. *putet.* ita codices omnes. Ernestius *putent.* Alterum vero non discrepat ab habitu orationis et indole. Sensus patet: Ego reperiam eum, qui non putet esse suae diligentiae, quod decreveritis, recusare.

11. *municipiis,* inter plures codices Erfurtensis vocem tuetur. *municipibus* autem grammatico, qui operam in emendando sermone ad consuetudinem Tullianam in oratione posuit, acceptum referas. Homo enim, qui *si quis* insequi videret, *numicipiis* antea recte scribi non putavit.

13. *dignas — perditorum: sancit.* Lambinus solus. Ceterum codex Erf. semper *sanccit.* vid. de serm. verbisque.

ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per senatum aut per populum levare possit; eripit etiam spem, quae sola homines in miseriis consolari solet. Bona praeterea publicari iubet, vitam solam relinquit nefariis hominibus, quam si eripuisset, multas uno dolore animi ac corporis et omnes scelerum poenas ademisset. Itaque ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt, quod videlicet intelligebant his remotis non esse mortem ipsam pertimescendam.

[V. 9] Nunc, Patres conscripti, ego mea video quid intersit. Si erites secuti sententiam C. Caesaris, quoniam hanc is in republica viam, quae popularis habetur, secutus est, fortasse minus erunt hoc auctore et cognitore huiusce sententiae mihi populares impetus pertimescendi; sin illam alteram, nescio, an amplius mihi negotii contrahatur. Sed

5. Erfurtensis codex apud me plus valuit, quam Graevii ingeniosa elegantia scribentis *multos uno dolore dolores animi atque corporis et omnes scelerum poenas*. Operam perdideris, si in oratione nihil, nisi quod eleganter et concinne ad aures cadat, sequendum duxeris. cf. §. 3. *multos* videtur eodicum auctoritate quamquam non optimorum probari posse; *ac* retinui, contra Erfurt. codicem, qui ex emendatione, ut videtur, ubique fere *atque* habet. Liber Waldarferianus *sceleris* exhibet pro *scelerum*; sed est ei libro meo quidem iudicio nihil tribuendum: quippe qui omnium maxime sit emendatrices manus expertus.

14. *hoc auctore et cognitore* cum Erf. plerique. *hoc monitore et auctore* Lambin. *hoc auctore et monitore* alii.

16. Saepe sane ego dubius deliberavi, an esset scribendum: *an plus mihi negotii* ex prava litterarum geminatione ratus ista verba esse nata. Sed re diligentius expensa non dubitavi, quin omnium eodicum scripturam veram pronunciarem. cf. de serm. et verb.

tamen meorum periculorum rationes utilitas reipublicae vindicat. Habemus enim a C. Caesare, sicut ipsius dignitas et maiorum eius amplitudo postulabat, sententiam tamquam obsidem perpetuae in rempublicam voluntatis. Intellectum est, quid intersit inter levitatem concionatorum et animum vere popularem, saluti populi consulentem. [10] Video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem, ne de capite videlicet civium Romanorum sententiam

1. *reipublicae utilitas* cod. Erf. idemque cum omnibus *vindicat*, quod ego quoque probavi. Neque enim scripturam praesidio veterum librorum omnium defensam abolendam duxi. Scholiastae autem, cuius tutela *vincat*, quod interpretes probarunt, nititur, tela, quibus defendit, mendosis aliarum vocum relationibus hebetantur. Et facilior est ex compendiis litterarum verborum in margine scriptorum depravatio, quam in orationis contextu. Praeterea nulla causa erat, cur e breviore vocabulo vocabulum productius, ex facili sententia fieret difficilior. Adde scriptoris studium insolitarum sententiarum, significationum, compositionum; denique subiunctivo aptiorem videri indicaticum. Sensus: Utilitas reipublicae postulat, ut rationes meas sibi concedam. Loci obscuritas atque difficultas nata est omissione vocabuli *sibi*. Quod si viri docti saepius omitti etiam a probatissimis scriptoribus reputassent, non de emendando loco, credo, cogitavissent, pro Archia 8, 19. Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant. Cic. de off. 1, 7, 22. Sed quoniam non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici etc. id. 1, 1, 2 quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo iure quodam modo vindicare. Ernestius h. l. *mihi* reponere volebat. Ovid. ex Pont. 1, 5, 56. Quocunque adspicias, campi cultore carentes vastaque, quae nemo vindicet, arva iacent. Sic scriptores. Elegantiae vero si forte minus orator consuluit, non nostrum est, emendando addere orationi ornamenta.

2. *a Caesare* Erf. mox idem: *quid interesset*.

7. *non neminem*. Quis significetur, interpretes am-

ferat. Is et nudius tertius in custodiam cives Romanos dedit, et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis affecit. Iam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici prae-

bigunt; Schollasta Q. Metellum, tribunum plebis designatum arbitratur notari. Mihi vero, quantum coniicio, gerrae germanae viri commemoratio videtur. Et de reliquis dixi alibi pluribus. Neque vero opus erat, virum, qui intelligatur, nominatim quaeri. Fraudi fuit viris doctis, quod *non neminem* esse eiusmodi verbum, quo certus vir designaretur, in animum induxerant. Qua in re *quidam* dici solet. Est potius illa vox media inter *aliquis* et *quidam*. Reliquum est, id quod similiter a viris doctis neglectum est, ut non unum sed plures aliquos consuetudo saltem Ciceronis hoc nomine insignes faciat. Quo ea clarius perspiciatur, non inutile videbitur, unum vel alterum locum attulisse. pro Murena dicens Cicero in haec verba incidit (§. 84): „Hostis est enim non apud Anienem, sed in urbe, in foro — non nemo etiam in illo sacrario reipublicae, in ipsa, inquam, curia non nemo hostis est.“ Omnis vis, omnis elegantia, omnis denique gravitas, si Cicero *quendam* dixisset, continuo obtunderetur delereturque. In Pisonem (5, 10) „quas leges, inquit, au·us est non nemo improbus, potuit quidem nemo convellere.“ Probe sensit Ernestius, si Vatinius, licet eo propensus animus sit (in Vat. 7), intelligatur, sententiam exsanguem et enervem reddi, itaque *non* delendum aliquando suspicatus est. Modo plures non unum cogita; nec te fugiet, sententiam, non solum habere vim gravissimam, verum etiam iucundissimam concinnitatem. Adde Plinii locum (14, 45. 5.); pastinatis de integro vineis cura Stheneli, dum agricolam imitatur, ad vix credibile miraculum perduxit, intra octavum annum CCCC numum emptori addicta pendente vindemia. Concurritque non nemo ad spectandas uvarum strues etc. Denique Cic. pro Sext. 20, 45 Unum enim mihi restabat illud, quod forsitan non nemo vir fortis et acris animi magnique dixerit etc. vid. de sermone verbisque.

4. *mihi tullio*, supra tamen, *vel quaesitori* cod. Erf.

mium decrevit, quid de tota re et causa iudicarit. At vero C. Caesar intelligit, legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam; qui autem reipublice sit hostis, eum civem esse nullo modo posse; denique ipsum latorem Sempro-niae legis iussu populi poenas reipublicae dependisse. Idem 5 ipsum Lentulum, largitorem et prodigum, non putat, quum de pernicie populi Romani et exitio huius urbis tam.

Scilicet grammaticus, cuius diligentiam saepius videre nobis visi sumus, nomine quaesitoris offensus emendandum locum existimavit.

4. Libri verborum loca alio ordine referunt. Equidem Erfurtensem codicem multosque alios, antiquas editiones deserendas esse non putavi. Cur enim vox *Semproniae* ante *legis* pronatur, causa est, quod omnis vis enuntiationis priore voce continetur.

5. *iussu populi.* sic in omnibus codicibns scriptum exstat. Ernestio aliisque *iniussu* magis placebat; atque sic correxerunt. At vero coniectura effingi novam sententiam, ubi nulla nisi ex veri similitudine suspicio corruptelae inveniatur, non probo, praesertim in homine ad insolita maxime propenso. Illud est enim puerorum more castigare virorum dicta. Alii, quibus mutandi studium improbabatur, operam dederunt, ut difficultatem loci explicarent. Hi in eam cogitationem inciderunt, ut Gracchum occisum putarent iussu populi, quia Opimio, qui interemerit, decreto senatus commissa res publica fuerit. Mira sane explicatio; ac si quod senatus decreverit, populi iussu fieret. Nos de his rebus disputabimus, ubi de erroribus historicis agemus.

5. *poenas dependisse.* Rara locutio. Cic. pro Sext. 67, 140 Omnes fere reipublicae poenas praesenti morte aut turpi exitio dependerunt. Ulpianus nescio quo loco: Poenae, inquit, non solent repeti, quum depensae sint.

5. *idem etiam ipsum larg. et pr. Lent.* Lamb. *idem et ipsum largit. Lentulum et prod.* veteres editt.

acerbe tamque crudeliter cogitarit, etiam appellari posse populärem. Itaque homo mitissimus atque lenissimus non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris vinculisque mandare, et sancit in posterum, ne quis huius supplicio levando se iactare et in pernicie populi Romani posthac popularis esse possit; adiungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur.

[VI. 11] Quamobrem sive hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad concionem populo carum atque iucundum; sive Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defendetis, atque obtinebo, eam multo leniorem fuisse. Quamquam, Patres conscripti, quae potest esse in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas? ego enim de meo sensu iudico. Nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor, (*quis* enim est me mitior?) sed singulari quadam humanitate et misericordia. Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem; cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium; versatur mihi ante

1. sic cod. Erf. et probatissimi testes; antiquae editiones *etiam* omittunt.

5. *in perniciem* Lamb. cod. Oxon. alii. vid. §. 12, summae credulitatis in patriae civiumque pernicie.

12. *exsolvitis* pro *defendetis* in codice Colon. esse dicitur. Ego vero praepositionem *a* nunquam aptum ab isto verbo animadverti. Codex Erf. inter *vitiup.* *def.* sup. ab eadem manu: *p. R.*

17. *moueat* cod. Erf. mox *mihi uidere hanc urbem* idem.

oculos adspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis. [12] Quum vero mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperasse confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum ac vexationem virginum Vestalium perhorresco. Et quia mihi vehementer haec videntur misera atque miseranda, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebebo. Etenim quaero, si quis paterfamilias liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servis quam acerbissimum

4. *esse* omittitur in codice Erf.

6. *vexantium* mirus codicis Erf. error.

9. Editio Wald., cuius auctoritatem parum dignam supra censuimus, ex qua locus corrigatur, ut postea etiam accuratius videbimus, et Lambinus *praebeo*. Sed codices longe plurimi et optimi *praebebo*, idque debebant interpretes probare. §. 11. facile me defendetis atque obtinebo. §. 12. si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur. vid. de sermone verbisque.

11. *supplicium de servis quam accerbissimum*. Lactantius in libro, qui est de ira Dei (1, 17.), haec verba ita perscripsit: *de servo nunquam acerrimum;* correxit Buenemannus *non quam*, ac sic ante edidit Lambinus et cum eo alii. Lactantii religio in referendis Ciceronis verbis, ut et aliis locis et exemplo, quod propositum est, cognoscitur, valde infida est vel saltem abiectior, prae qua libri Erfurtensis fides contemnatur. Quaestionem vero si extra complexum ceterorum verborum positam cogitas, sensus apparet; sequentibus verbis responsum continetur. Etenim quaero, quo nomine appellandus sit, clemens an inhumanus, qui scelerum poenas a servis quam acerbissimas expetierit. Quippe importunus ac ferreus, nisi dolorem suum servorum cruciatu lenierit. mox: si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur. Denique *de*

sumserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt, qui singulas uniuscuiusque nostrum domos et hoc universum reipublicae domicilium delere conati sunt, qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis huius urbis atque in cinere deflagrati imperii collocarent, si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur; si remissiores esse voluerimus, summae nobis crudelitatis in patriae civiumque pernicie fama subeunda est. [13] Nisi vero cuipiam L. Caesar, vir fortissimus et amantissimus reipublicae, crudelior nudius tertius visus est, quum sororis suae, feminae electissimae, virum praesentem et audientem vita privandum esse dixit, quum avum iussu consulis interfectum filiumque eius impuberem, legatum a patre missum, in carcere necatum

servis ne sustuleris; si autem; doctrinae reconditae nec vulgaris ostentationem aboleveris. cf. Tac. Annal. 14, 42. Cic. ad div. 4, 12. Praeterea animadvertendum est, in Erf. codice reperiri *cruciatuque*; et antea a nobis ex eodem codice et vett. editt. esse *inhumanissimus* scriptum. Superlativi usum frequentissimum in oratione quarta Cat., si leviter modo attendas, deprehenderis. Lactantii vero scribentis *inhumanus* fidem satis opinor antea labefactavi, ut ille mihi non sit impedimento, quo minus a sententia decedam.

6. *domus* cod. Oxon. Beierus ad Cic. libros de off. (vol II. p. 126) probavit. eadem scripturae varietas in orat. pro Caelio 7, 18.

14. *electissimae*. cod. Erf. et optimus quisque; alii *lectissimae*.

17. *necandum* cod. Erf. Non nihil vitii latere in hoc loco suspicor.

esse dixit. Quorum quod simile fuit factum? quod initum delendae reipublicae consilium? Largitionis voluntas tua in republica versata est et partium quaedam contentio. Atque illo tempore huius avus Lentuli, clarissimus vir, armatus Gracchum est persecutus; ille etiam grave tum vulnus accepit, ne quid de summa republica minueretur: hic ad evertenda fundamenta reipublicae Gallos arcessit, servitia concitat, Catilinam vocat, attribuit nos trucidandos Cethego, ceteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinae. Vereamini, censeo, ne in hoc scelere tam immani ac nefando nimis aliquid severius statuisse

5. Negligenter scripti libri, inter quos cod. Oxon. *etiam* non servarunt. Non assentior, quia omittendi causa apparet, addendi non apparet. Et sunt in oratione multa verba, quae facile eiiciantur.

6. *de summa reip.* et supra ab eadem manu *dignitate* Erf.; prius perplacet.

9. *et ceteros* Erf. qui idem post *Cassio* omittit.

11. *Vereamini censeo.* Constans haec est codicum omnium et editionum scriptura praeter Waldarferianam, in qua *vere enim* legitur. Insolentia dictionis offensus Ernestius, dum vestigia emendationis Waldarf. sequitur, *veremini* correxit, quod idem in lexico Forcell. v. *censeo* scriptum vidi. At codicum consensum et ratio probabit et praeclara Sallustii doctrina tuebitur. Cat. 52, 26 Misereamini, censeo, deliquere homines adolescentuli. Una putamus Sallustii verbis Lambini refelli coniecturam pro *censeo* scribendum *credo* existimantis.

12. Constitui verba ex antiquissimis editionibus atque optimis codicibus. Alii; *nimis aliquid severe*: nescio an sit scriptorum librorum. Ernestius *nimis severe* aut *aliquid severius* legendum iudicavit. Fortasse recte *nimis* cum *nefando* coniunxeris.

videamini, quum multo magis sit verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur.

[VII. 14] Sed ea quae exaudio, Patres conscripti, dissimulare non possum: iaciuntur enim voces, quae perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii ad ea, quae vos statueritis hodierno die, transigunda. Omnia et provisa et parata et constituta sunt, Patres conscripti, cum mea summa cura atque diligentia tum multo etiam maiore populi Romani ad summum imperium retinendum et ad communes fortunas conservandas voluntate. Omnes adsunt omnium ordinum homines, omnium denique aetatum; plenum est forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus huius loci ac templi. Causa est enim post urbem conditam haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem, praeter eos qui, quum

1. *videamini multo magis est* cod. Erf. memoratu digna scriptura.

2. *crudeles magis in patr.* cod. Brit. et editt., quibus si Germanicorum librorum consensus accederet, haud gravarer reponere.

8. *transigenda* Lamb. *transeunda* Waldarf.

9. *sunt* omittit Erf.

12. *assunt* cod. Erf.

13. *plena — forum* Lambinus cum aliis omisit. *circum* pro *circa* Erf., quod natum existimo repetita vocum in *um* terminatione. Postea idem codex *templi ac loci*, quod si probari aliis libris scirem, non dubitarem vulgatae scripturae praeferre. Cic. in Vat. 10, 24. Quum — indicem in illo augurato templo ac loco collocaveris.

14. Magis quam vulgatorum librorum *causa enim est* Erfurtensis libri scriptura placebat. Ideo ascivi.

sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potius quam soli perire voluerunt. [15] Hosce ego homines excipio et secerno libenter: neque enim in improborum civium sed in acerbissimorum hostium numero habendos puto. Ceteri vero, dii immortales! qua frequentia, quo studio, qua virtute ad communem salutem dignitatemque consentiunt? Quid ego hic equites Romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt, ut vobiscum de amore reipublicae certent; quos ex multorum annorum dissensione huius ordinis ad societatem concordiamque revocatos hodiernus dies vobiscum atque haec causa coniungit. Quam coniunctionem si in consulatu confirmatam meo perpetuam in republica tenuerimus: confirmo vobis nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicae partem esse venturum. Pari studio defendendae reipublicae convenisse

5. *enim* praetermisit cod. Erf.

6. Correxi haec ex codicib. optimis (Erf.) et antiquis editt. facilius rectiusque *communem salutem* quam *communem dignitatem* ratus dici, quamquam eiusmodi rationem fallacem ac lubricam praesertim in non optimis scriptis probe intellexi. *communem dignitatem salutemque* ceteri. Nonnihil diversum esse arbitror quod est §. 1. dignitas salusque; sed cf. §. 10; in orat. in Rull. I. fin. *communis dignitas.*

7. *ergo* Erf. sed §. 16. quid ego hos c. pro Sext. §. 129. pro Milon. 18: quid ego illa commemoro. vide paulo post. *ergo* pro *ego* scriptum in aliquot libris de fin. 4, 27, 74.

7. *vobis* supra *vel urbi* Erf.

8. pro *consiliique* Erf. *auxiliique*; sed supra *vel consiliique.* Mureti codd. *ordinis, auxilii, consiliique.*

10. sic Erf. cum aliis cod. Sed *ad huius ord.* reliqui.

11. *si ut coni.* cod. Erf. sed *ut* supr.

video tribunos aerarios, fortissimos viros, scribas item universos, quos quum casu hic dies ad aerarium frequentasset, video [ab amore debitae pecuniae et] ab exspecta-

2. *hic dies* Erf. et optimi. *haec d.* Lamb. edit. Waldarf. *frequentes advocavit* aliquot editt. *frequens advocavit* Herv. Gam. *frequentes advocasset* pauci codices et malae notae. *frequentavit* Ernestii suspicio. orat. pro domo 55. quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteras. vid. de serm. verbisque.

5. *ab amore debitae pecuniae* glossema miserum plerique, quamquam in non parum multis codicibus at longe optimis verba sunt reperta, viri docti, Ciceronis more loquendi nixi, iudicaverunt. Mihi secus videtur statuendum esse quum propter codices tum magis propter scriptoris usum consuetudinemque. Librarius quidem, cuius operae Erfurtensis liber debetur, margini verba adscripsit, sed ita, ut locum, cui inserenda essent, insignem faceret. Quo facilius, quum ille aliis locis glossemata versibus interponere soleat et punctis notare vel voculam *vel* addere, saltem locum, cui addantur, non significare, negligentia omissa iudicabis. Tum studium amplificandarum sententiarum ἐπιδεικτικόν, ut Fr. A. Wolfius olim in oratione, quae est pro Marcello (10, 30), animadvertit, nos quoque in hac oratione animadvertimus. §. 2. sedes honoris, sella curulis §. 1. omnium vestrum ora atque oculos §. 1. omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque. §. 2. mortis periculo atque insidiis. §. 4. ad deplorandum p. R. nomen atque lamentandam — calamitatem. §. 6. sustentando ac prolatando. §. 14. plenum est forum, plena templa circa forum, plena aditus huius *loci* ac *templi*. §. 17. ipsam sellae atque operis et quaestus quotidiani locum, qui non *cubile* ac *lectalum* suum etc. §. 17. coeptum atque tentatum. Quorum numerum quavis pagina augere poteris. Adde vocis *huius*, quam tanto consensu optimi libri commendant, ut religiosum sit, eam omitti, nullum usum fore, nullum intellectum, nisi verba, quae glossemate orta putant, admiseris. Denique verborum habitus et tota forma, ut ita dicam, mirum quantum a glossematum indole dissident. Cui unquam librario ita explicare in mentem veni-

tione [Ianius] sortis ad communem salutem esse conversos. [16] Omnis ingenuorum adest multitudo etiam tenuissimorum. Quis est enim, cui non haec templa, adspectus urbis, possessio libertatis, lux denique haec ipsa et hoc commune patriae solum quum sit carum tum vero dulce atque iucundum?

[VIII.] Operae pretium est, Patres conscripti, libertinorum hominum studia cognoscere, qui sua virtute fortunam huius civitatis consecuti hanc vere suam patriam esse iudicant, quam quidam hic nati et summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse iudicaverunt. Sed quid ego huiusce ordinis, homines commemoro, quos

ret? Potius verba quae insequuntur, interpretamenta credideris. Praeterea non erit inutile locum, quem occupant, attento animo considerari; secundo loco non priori glossema equidem quaesierim.

1. *huius* non est in cod. Erf. nec editt. recentib.

3. *quis enim est* cod. Erf.

4. *hoc* om. Erf. postea idem *sic* pro *sit*.

8. sic Erf. et optimi quique. *qui virtute sua huius civitatis ius* codices Mureti. *qui sua virtute ac fortuna ius civitatis c.* Lamb. prieri ed., post. *fortuna sua. — qui virtute sua fortunam civitatis c.* ed. Waldarf.

9. *vere hanc* cod. Erf.

10. *qui hic* cod. Erf. Interpretes non debebant, quod in deterioribus libris est, *hinc* probare, quoniam *summo loco* nasci vel *in patria* non *ex loco* vel *ex patria* dicitur.

12. *huius* cod. Erf. *hosce* in aliquot codicibus scriptum est. *hos homines ordinesque* cod. Brit. et veteres aliquot editiones. Abunde demonstrant ea, quae sequuntur, libertinos solos cogitandos esse.

12. *commemoro*. Non recte, ut mea quidem opinio fert, in hac voce, utrum indicativum an subiunctivum,

privatae fortunae, quos communis respublica, quos denique libertas ea, quae dulcissima est, ad salutem patriae defendendam excitavit? servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat, qui non haec stare cupiat, qui non tantum, quantum audet et quantum potest, conferat ad communem salutem voluntatis. [17] Quare si quem vestrum forte commovet hoc quod auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperare sollicitari posse animos egentium atque imperitorum, est id quidem coeptum atque tentatum: sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri aut voluntate perditi, qui non ipsum illum

quem deteriores liberi exhibent, probarent, interpretes haesitaverunt. Indicativo utimur, quum ea, quae diximus, abunde patere rati ad novam rem explicandam tendimus; subiunctivo vero, quum deliberamus, an in re minime obscura explicandi opera amplius desideretur, i. e. quum nihil eiusmodi, quod nescimus, an commemoremus, antea exposuimus. Recte igitur paulo ante orator *quid commemorem*, quoniam nihil simile antea docuerat; recte Corn. Nep. vit. Att. 17: de pietate autem Attici quid plura commemorem. Nam postea de ea disseritur. Recte vero etiam Cicero pro Flacco §. 105: sed quid ea commemoro, quae tum quum agebantur — in coelum laudibus efferebantur. 2 Phil. 5, 12; pro Milone §. 18; pro Sext. §. 118. et subiunct. §. 129. pro Sulla §. 75. Quid reliquam constantiam viri commemorem dignitatem liberalitatem moderationem in privatis rebus? etc. Sequuntur virtutes, de quibus antea mentionem orator nullam fecerat.

3. *de tolerab.* Erf. idem mox v. 5. *tantum* omittit. Sane ille, quisquis fuit, qui Tullianum sermonem ex verbis emendandis elicere studuit, offensus nimio intervallo verborum *tantum et voluntatis* loca mutanda censuit; itaque *tantum conferat* scripsit. cf. de fin. 4, 22, 61.

6. *communem* supersor. in cod. Erf.

sellae atque operis et quaestus quotidiani locum, qui non cubile ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitae suae salvum esse velint. Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, nisi vero (id enim potius est dicendum) genus hoc universum amantissimum est otii: etenim omne eorum instrumentum, omnis opera ac quaestus frequentia civium sustentatur, alitur otio; quorum si quaestus, occlusis tabernis, minui solet, quid tandem incensis futurum fuit?

[IX. 18] Quae quum ita sint, Patres conscripti, vobis populi Romani praesidia non desunt: vos ne populo Romano deesse videamini providete. Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum; omnes ordines ad conservandam rempublicam mente

5. Scrib. *vellent*, pendet enim ab *inventi sunt*. ERNESTIUS. Cic. ad div. 5, 6, 2. Ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen existimer. pro reg. Decot. 1, 3. exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus. Quo loco non minus Ernestius aliique offensi *accusaret* probaverunt. Nollem factum.

4. *nisi vero*. omnes sic codices, prae quibus facile ac tuto omnes virorum doctissimorum conatus corrigendi (scripserunt enim *immo vero*) retuderis et contempseris. Quo magis mirabar, neminem vidisse opponi sibi invicem *multo maximam partem* et *hoc genus universum*, ut fiat gradatio: multo plurimi, nisi vero omnes, id quod magis credendum est, pacis amantissimi sunt. Nos: bei weitem die meisten, wenn es nicht fuerwahr, was man lieber annehmen muss, alle sind. Frequenti usu orator *nisi vero* habet.

6. *eorum* non exstat in cod. Erf. mox idem *atque quaestus*, tum *acclusis*, posteaque, ut edidimus *futurum fuit* non *futurum est*, quod deteriorum librorum est.

voluntate studio virtute voce consentiunt; obsessa facibus et telis impiae coniurationis vobis supplex manus tendit patria communis; vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem et Capitolium, vobis aras penatium, vobis illum ignem Vestae perpetuum ac sempiternum, vobis omnium deorum templa atque delubra, vobis muros atque urbis tecta commendat. Praeterea de vestra vita de coniugum vestrarum ac liberorum anima de fortunis omnium de sedibus de focis vestris hodierno die vobis iudicandum est. [19] Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui, quae non semper facultas datur: habetis omnes ordines, omnes homines, universum populum Romanum, id quod in civili causa hodierno die primum videmus, unum atque idem sentientem. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox quam paene delerit. Id ne unquam posthac non modo confici

1. *studio virtute* om. cod. Erf. idem habet vers. eod. *faucibus* pro *facibus*.

5. *perpetuum ac* om. cod. Erf. Non ausus sum sequi Erfurtensem, qui, ut videtur, hoc in loco depravatior est. Antea verba sunt omissa, quae nemo, credo, eius ex auctoritate deleverit. Praeterea codicem nonnunquam verba constat vel necessaria omittere.

6. *omnia templa deorum* libri non bonae notae. Nimis languet locutio. *atque* om. Erf.

8. *ac liberorum* Erf. mirum quod variae lectiones C. Stephani frequenter cum Erfurtensi consentiunt.

9. *hodierna die* Erf. idem v. 15 *quanam vir.*

17. *paene*, sed supra hanc vocem *quam* a recenti manu Erf.,

17. *non modo non confici* Erf. ac Stephanus soli.

sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providendum est. Atque haec, non ut vos, qui mihi studio paene praecurritis, excitarem, locutus sum, sed ut mea vox, quae debet esse in republica princeps, officio functa consulari videretur.

[X. 20] Nunc antequam, Patres conscripti, ad sententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est coniuratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video, sed eam esse iudico turpem et infirmam contemptam et abiectam. Quod si aliquando alicuius furore et scelere concitata manus ista plus valuerit quam vestra ac reipublicae dignitas, me tamen meorum factorum atque consiliorum nunquam, Patres conscripti, poenitebit. Etenim mors, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata; vitae tantam lau-

1. *possit a civibus, vobis h. d.* Herv. Cam. *possit vobis h. d.* Lamb, et nonnulli antiquiores.

2. *est* om. Erf.

5. *exhortarem* pro *excitarem* sed sup. *vel excitarem.* Erf.

7. *redeam* Erf. Cic. Phil. 1, 1, 1. Antequam de republica, patres conscripti, dicam ea quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam etc. pro Sest. §. 15. Sed necesse est, antequam de tribunatu P. Sextii dicere incipiam, me exponere etc. nisi his locis futurum mavis intelligi; usitatius tamen praesens videtur.

10. *contemptam* om. Erf. sed supra *et contemptam.* Improbavi *et* particulam quamquam a libris scriptis defensam. Vocem *contemptam* incuria excidisse in Erfurt. quisque, qui paulo accuratius librum contulerit, facile intelliget.

14. *mihi* om. Erfurt. et Steph. iidemque v. 2 p. 28. *semper.* Omissionem codex optimus et duo Gruteri suadent, conservationem ingenium oratoris.

dem, quanta vos me vestris decretis honestastis, nemo est assecutus: ceteris enim semper bene gesta, mihi uni conservata republica gratulationem decrevistis. [21] Sit Scipio clarus ille, cuius consilio atque virtute Hannibal in Africam redire atque Italia decedere coactus est; ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas, Karthaginem Numantiamque, delevit; habeatur vir egregius L. Paullus ille, cuius curruui rex poten-

2. Optimorum codicum cum Erfurtensi consensum ego quoque probandum censui, qui supplicationem decerni bene gesta, non bene gestae reipublicae, nossem. Nec deerunt quaerenti exempla. Orat. 3 in Cat. 6, 15. ceterae supplicationes bene gesta, haec una conservata republica constituta est. cf. Phil. 14, 4, 11. etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis aut plerumque nullis? Cic. ad div. 15, 4, 11. Tu idem mihi supplicationem decreviati togato, non ut multis, republica bene gesta sed ut nemini republica conservata. Quamquam non ignoro saepius dici *ob rem publ. bene gestam* vel *quod bene gesta sit* decerni supplicationes. cf. Abram. ad orat. de prov. cons. 11, 26. Brisson. de form. p. 192 ed. Bach. Sall. Iugurth. 55 Caes. B. G. 2, 35, 4 et saepius. Et alia praeterea genera sunt dicendi. Neque vero tacendum arbitror, locum exstare unum sententiae expositae contrarium. Est ille in oratione Ciceronis, quae inscribitur in Pisonem 3, 6. Mihi togato, inquit, senatus, non ut multis, bene gestae, sed, ut nemini, conservatae reipublicae singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. Non ego hic commemorabo, satis memorabilem esse scripturae varietatem illius loci, quum rectius genitivum defendi verbis ipsis sciam. Ingrata enim exsisteret ablativorum quasi strues si *bene gesta rep.* Cicero scripsisset. Quod ut vitaret, insitatiore modo loquendi videtur usus. Negligenter scripti libri: *gestae — conservatae reipublicae* produnt.

5. Ita Erfurt. Stephanus et aliquot vett. editt. *ex Italia* reliqui. Sane pronum erat, praepositionem accedere.

8. *L.* abest ab Erf. cf. §. 9.

tissimus quondam et nobilissimus Perses honestavit; sit aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit; anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur: erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae; nisi forte maius est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur. [22] Quamquam est uno loco conditio melior externae victoriae quam domesticae, quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt, aut recepti beneficio se obligatos putant; qui autem ex numero civium, dementia aliqua depravati, hostes patriae semel esse coeperunt, eos quum a pernicie reipublicae repuleris, nec vi coërcere nec beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse video; quod ego vestro bonorumque omnium auxilio memoriaque tantorum periculorum, quae non modo in hoc populo, qui servatus est, sed etiam in

2. *in aeterna.* Sic minus probati libri; meliores secutus praepositionem delevi. Cuius longe frequentior apud Ciceronem omissio est quam receptio. ad Atticum sic scribit 14, 11. ut — futuri quidem in gloria sempiterna sint. de off. 3, 21. 85 in maxima et gratia futurus sit et gloria. Wunderus autem si verum est, quod disputavit in praefatione Lectionum codicis Erf. p. XVII, ex numero exemplorum hic locus eximatur oportebit. ad Att. 2, 21. extr. *admirabili gloria est*, et sic fere semper.

3. *Pompeius omnibus* cod. Erf.

14. *cohercere* cod. Erf.

16. pro *quod* Erfurt. et Stephanus *id* exhibent.

18. Magna sane auctoritas est librorum, qui *etiam* tollunt Britanic. editt. vett. et Erf.; hic etiam *in* omittit. Ego ponderatis argumentis nihil mutandum decrevi.

omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit, a me atque a meis facile propulsari posse confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur, quae coniunctionem vestram equitumque Romanorum et tantam conspirationem bonorum omnium perfringere et labefactare possit.

[XI. 23] Quae quum ita sint, Patres conscripti, pro imperio, pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro triumpho ceterisque laudis insignibus, quae sunt a me propter urbis vestraeque salutis custodiam repudiata, pro clientelis hospitiisque provincialibus, quae tamen urbanis opibus non minore labore tueor quam comparo, pro his igitur omnibus rebus et pro meis in vos singularibus studiis proque hac, quam prospicitis, ad conservandam rempublicam diligentia, nihil a vobis nisi huius temporis totiusque mei consulatus memoriam postulo; quae dum erit in vestris fixa mentibus, tutissimo me muro saeptum esse arbitrabor. Quod si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit, commendo vobis parvum meum filium,

5. *conductionem* Erfurt. pro *coniunctionem*. idem mox *confringere* ac sic Steph.

6. *patres conscrip.* Erf. om.

12. *et* non est in Erfurt. nec mihi placet; tamen toleravi.

13. *prospic.* Erf. Brit. vett. editt. — aliae editt. *perspicitis*. pleraeque *conspicitis*, statim post *adeo conservanda*. Erf.

14. Erfurt. Brit. Duisb. et editt. plurimae consentiunt cum scriptura, quam constitui. Alii libri *nihil aliud* habent; nescio an scripti. Sic sane plerumque Cicero.

16. *in vestris fixa mentibus* Erfurt. et Francii; alii *vestris mentibus infixa*.

13. *tutissimo* Erf. Stephanus, alii codices. Vulgata scriptura *firmissimo*.

cui profecto satis erit praesidii non solum ad salutem verum etiam ad dignitatem, si eius, qui haec omnia suo solius periculo conservaverit, illum esse filium memineritis.

[24] Quapropter de summa salute vestra populique Romani, Patres conscripti, de vestris coniugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de imperio, ac libertate, de salute Italiae, deque universa republica decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter. Habetis eum consulem, qui et parere vestris decretis non dubitet, et ea quae statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum praestare possit.

3. *periculo* sup. *et aris* Erf. idem *filium esse.*

5. *patres conscript.* om. Erf. et Steph.

7. *ac libertate* codex Brit. Stephanus, Erfurt. — *de libertate* ceteri. *de universa* Erf.

9. Codex Erf. et alii multi ita ut edidi; alii vero productius: *habetis enim eum.*

DE TESTIMONIIS HISTORICIS.

Satis convenit, magna laude et gloria apud maiores nostros fuisse orationes, quae feruntur in Catilinam dictae Ciceronisque nomine inscribuntur. Ac iustas illi magnasque causas habebant, cur orationum virtutes, quibus nonnullae excellunt, concinnitatem et elegantiam sententiarum, brevitatem dicendi, gravitatem ac lumina oratoriarum figurarum admirarentur. Maior tamen admiratio virtutum videtur quam cognitio earum fuisse. Quamquam enim ingenia maiorum memoria, non dicam minus apta criticae subtilitati verum minus facta, utilitati voluptatem, quam legendo perciperent, praetulerunt: tamen, si modo paulo minore studio, iudicio maiore antiquitatis monumenta persequi, nec laudare, quod alii laudassent, ipsi quoque voluissent: virorum doctorum acumen et sagacitatem vitia quaedem foeda nec mediocria eludere tam diu non potuissent, nec deprehensis erroribus manere admiratio. [1]) Haec vero instituta

1) Dantis aetate eo usque videntur orationes, quae sunt in Catilinam, discentium usui traditae esse, ut reliquos Ciceronis libros propemodum oblivio obrueret. Quos si satis cognitos Dantes habuisset, C. Cassium, Caesaris percussorem cum L. Cassio Longino, qui Ciceroni in consulatu ambiendo competitor postea Catilinae se in societatem coniurationis adiunxit, non commutasset. (vid. Dant. infern. 34, 67. Plut. Caes. 62. Ant. 11. Brut. 8. orat. III. in Catil. 7, 16.) Apud Byzantios vero scriptores maiore ho-

ante multa saecula et traducta ad nostra tempora tam tenaciter haesit in animis omnium, ut neque iudicium neque censuram institui permitteret; et sicut amator aegre fert, notari quaedam in puella, quam amat, ita illi in festivis orationibus, quas admirabantur, neque ipsos se neque alios aliquid vitii suspicari voluerunt, ne si quando de pulchritudine, quam maximam credebant, iure detraheretur, id recte fieri concedere cogerentur. Mox tamen perversi iudicii gravissimas illi poenas dederunt. Veteratorum enim fraudibus circumventi et inducti constrictique in miras et incredibiles difficultates inciderunt, mirumque est dictu, quanto opere illi, ut falsa veris adaptarent, incredibilia tenerent, repugnantia conciliarent, se afflixerint; quam saepe decepti alios deceperint, vel silentio orationum auctoritatem deseruerint. Quod quamvis iustissime de pluribus dicatur orationibus Catilinariis: quum sint ab aliis aliae in suspicionem adactae, ne acta agantur, ad quartam orationem properat disputatio. In qua saepenumero solebam valde mirari, quod neminem falsis rerum gestarum indiciis animadvertebam offensum, neminem earundem rerum turbato ordine, quem omnia antiquitatis monumenta falsum esse et ementitum arguant, neminem dissensione Sallustii admonitum, ut dissensionis causas investigaret. Iam vero non utile iudicamus hoc aditu patefacto statim ea praelibare et antecapere, quae postea accuratius a nobis debebunt exponi. Melius nos putamus iis, qui lectuti sint, consulturos, si eas res, quae tunc gestae animos senatus populique Romani suspensos ac sollicitos habebant, accu-

nore habitus Sallustius, ut ostendit Joannes Malelas p. 209 ed. Dind., qui rectius citata oratione Cat. IV, quam Sallustio sibi consuluisset.

rate exponamus. Id enim quasi fundamentum erit totius disputationis. Veritatis autem rerum quam maxime ratio a nobis habebitur, ne quidquam admittatur aut referatur, nisi quod sit verissimis et plurimis antiquitatis monumentis comprobatum, ea vero, quae ullo pacto in dubitatione versantur, protinus removeantur. Deinceps de sedibus argumentorum erit dicendum.

Patefacta coniuratione pericula et insidiae, quae minitabantur saluti reipublicae vitaeque civium Romanorum, nisi cura indefessa consulis subvenissent, non una erant sublata. Hic vero quum ex familia Lentuli, qui paulo ante criminis convictus praetura se abdicaverat, quosdam audiret in vicis cursare sperantes, precio posse animos servitiorum excitari ad dominos custodia liberandos, statuit, ne quid ex ea re novi periculi nasceretur, ad senatum referre, quid de iis, qui in custodiam essent dati, fieri placeret. Paulo ante frequens senatus contra rempublicam eos fecisse decreverat. Vocato senatu de coniuratis Cicero retulit, tum D. Silanum primum rogavit sententiam. Is supplicium de iis, qui in custodia tenerentur, de iisque, qui conscii sociive patefacta coniuratione aufugissent, si deprehenderentur, censuit sumendum, multis voce et plausu approbantibus. Neque ulla erat patrum de coniuratis dissensio, antequam ad C. Julium Caesarem ventum esset. Hic vero, praetor designatus, rogatus a consule sententiam, utens gravi et meditata oratione supplicium dissuasit, removens capitis poenam, vincula decernens coniuratis sempiterna divisis per municipia, quibus custodiendi attribuerentur, additisque poenis, si quis levare sortem condemnatorum conaretur. Sententia non lenis quidem [2]) sed au-

2) Vell. 2, 55. App. 2, 6. pro Sest. 28, 61. ad Att. 12, 21.

ctore ipso commendata plerisque admodum placuit, ut magno studio sequerentur. Iam vero alios severitatis poenituit, ita ut interpretando lenirent sententias suas, quia mutare turpe existimabatur. Inter quos Silanus fertur permotus Caesaris oratione se in sententiam Ti. Neronis discessurum adfirmasse. Is enim confessos vinculis retinendos de iisque referendum a consule, devicto Catilina, dixerat. Atque adeo praepollebat Caesaris sententia, nisi labantem senatum M. Porcii Catonis, eius, qui postea Uticensis est dictus, virtus confirmasset, senatuique supplicium sumendum persuasisset. Atque in eius sententiam discessio facta totusque senatus secutus est. Tum sontes ex custodia eductos consul, noctis timens caligines plebemque semper ad conandum propensam [3]), quamvis Caesar ad populum traducere eos causamque dicere cuperet, in Tulliano contra legem Semproniam more maiorum omnes laqueo necandos curavit [4]).

Quae ex diversis scriptorum narrationibus propabilissima nobis videbantur et verissima: haec fere sunt; quae dubitationem habebant, ea summovimus. Orationis autem quartae, quae est in Catilinam, quoniam scriptores mentionem non fecerunt, nos quoque commemorare non potuimus. Quum vero id a nobis sit institutum et susceptum, ut de argumentis, quibus oratio quarta, quae fertur in Catilinam, aut vindicetur Ciceroni aut ab eo abiudicetur, disseramus, non alienum a consilio videbitur, initio ponere testi-

3) Nonius v. eventus: Atque animo pendens noctu (l. nocturna) eventa timebat. Hoc de se ipse Cicero scripsit.

4) Praeter Sallustium id tradit Iuvenalis Sat. 10, 286 eiusque antiquus interpres.

monia; quam vera sint et quid ex iis consequatur, exquirere; dicta cum dictis conferre et denique videre, quae summa conficiatur. Subinde quam apte ea cum Ciceronis oratione, quae in Catilinam inscribitur, conveniant, licebit considerare. Testium primus et fide dignissimus, Cicero, ipse se de coniuratis dixisse testificatur, idemque memoriae Plutarchus [5]) prodidit, quantum video, denique antiquus commentator, qui orationes Catilinarias illustravit. Plutarchi vero fides, si ea, quae de coniuratione tradit, diligenter cum aliorum scriptorum narratione conferantur, maxime infirma est vel penitus concidit, ut nullo loco veritatis haberi possit. Nam de rebus gestis securus animi alia aliis varie, personis nominibusque permutatis, summa negligentia attribuit, omnia corrasit, quae usquequaque reperiebantur, vera a falsis non distinxit, ut in eo fere nihil desideraretur, quo graecum se testem esse, etiamsi hodie latine loqueretur, probaret. Itaque auctoritas nulla eius est, quum praesertim accedat, ut ne mediocriter quidem latine scire videatur. Quis est hodie, qui orationem, quae inscribitur post reditum in senatu, Ciceronis esse putet? Vix unus atque alter invenitur, quibus verissimae rationes F. A. Wolfii non probentur [6]). At Plutarchus declamatoris nugas Ciceroni attribuere [7]) non dubitavit. Praeterea in iis, quae idem Plutarchus Caesarem perhibet de coniuratis iudicasse, tum quae de Catonis oratione scribit, deque coniuratis, eius fidem valde accusare licebit turpibus erroribus obstrictam et implicatam.

5) ad Att. 12, 21. 2, 1. Plut. vit. Cic. 21.

6) Scio quidem, nuper defensam esse orationem.

7) Plutarchi vit. Cic. c. 55 p. 878 A.

Aliter haec ille; aliter reliquis litterarum monumentis omnibus, quorum multo pluris facienda est auctoritas, perscripta exstant. Orationem vero, quam percurrit in senatu Cato, exceptam librariis Ciceronis, superstitem aetate Plutarchi [8]), legere Sallustius poterat et imitari. Qui ut multum ingenio indulserit suo, non tamen videtur tam dissimilem fecisse orationem, quae non in plurimis conveniret Catonis sententiae, recenti adhuc hominum fama ac memoria eorum, qui audierant. Sequitur igitur, quo maior inter Sallustium et Plutarchum dissensio inveniatur, eo minoris huius fidem ad vere referendum existimandam. Iam audio dicere aliquem, a me dissentientem: Parvi refert, inquit, Plutarcho fidem deesse. Oratio exstabat, quae ita erat scripta, ut in Catilinam dicta esse videretur. Concedo haec, neque aegre concedo; illud etiam addo, Augusti aetate exstitisse mihi videri: nego vero eiusmodi auctorem, cuius testimonio Ciceroni oratio vindicetur, esse Plutarchum.

Nec plus commentatoris valet auctoritas, cuius iudicio si quis assentietur, mirabilem oratorem Ciceronem esse putabit, qui quod laudet, vituperando, laudando quod vituperet sine ullo voluntatis indicio auditoribus conetur commendare. Interrogatus, inquit, post eum (Silanum) Caesar dissuasit. Necdum Caesaris sententiam solvit Cato; nam postea Cato solvit Caesaris sententiam; sed Cicero ante retulit, et sic auctoritas crevit Catonis post Ciceronis relationem; — sed laborat orator occidendos esse, quantum potest, et suadet aliud agendo, quantum potest. Laudando vituperat eius sententiam. De quibus verbis non opus est pluribus dicere nec desiderabitur, quo quis magis

8) Plutarch. vit. Catonis 22. διασώζεται τὸν λόγον.

commentatorem veterem illum cognoverit. Exemplo tamen, quo veritatis amore teneatur, declarari non erit alienum ab instituto nostro. Paulo post enim ad verba, quae in oratione exstant: stat in conspectu haec scribit: „Stabant omnes ante oculos ipsius et flebant, gener Piso, frater Cicero, Terentia uxor, filia Tullia, filius Cicero.“ hic nempe puer altero aetatis anno nondum impleto cordatus et intelligentissimus. Ex reliquis praeter Q. Ciceronem consulis fratrem in senatu et fortasse Pisonem, qui ad valvas curiae videtur adstitisse, neminem adfuisse memoriae proditum est et oratio ipsa docet. De Ciceronis epistola, quae est ad Atticum (12, 21), alia in parte disputationis disserendi opportunitas erit. Ex qua, quidquid colligitur, non potest ullum stabiliendae opinionis, quae animos virorum doctorum hucusque obsedit, accipi praesidium, quum magis verendum sit, ne inde oppugnandae firmissima adiumenta colligantur. Pluris ad defensionem est, quod in oratione Philippica secunda exstat. Cicero enim in epilogo orationis recitans insignem ac praeclaram sententiam addit ante prope viginti annos in eodem templo Concordiae, in quo de coniuratis senatus iudicavit, se eadem dixisse. Etenim, inquit, si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi, posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni! Mihi vero, P. C., iam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum quasque gessi. Eadem plenius perscripta in oratione quarta, quae est in Catilinam, leguntur: „nam neque turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti.“ laudanturque a Quintiliano, nisi quod hic pro turpis scripsit gravis; deni-

que a Dione Cassio. 9) De quibus singulatim dicendum erit. Dio quod haec verba Ciceroni consuli attribuit in oratione, quam hunc facit contra Antonium dixisse, non moleste ferendum est. Neque aegre fontem, ex qua et hanc sententiam et plerasque alias, quibus a se compositam exornat orationem, derivarit, licebit detegere. Neque enim quidquam, quod gravioris sit momenti, nisi quod ex orationibus Philippicis acceperit, hodie agnoscitur. Non igitur quarta in Catilinam oratio, ex qua hauserit, cogitanda est; idque multum refert ad iudicandam causam, quam suscepimus et tuendam. Philippica igitur secunda Dioni fons erat, ex quo sumpsit sententiam. At ignarus supputandorum annorum consuetudinis, quae apud Romanos probabatur, aut imprudens graeca fere levitate, qua alioquin optimus auctor esse solet alienissimus, credidit Ciceronem, qui ante prope viginta annos ea dixisse se tradat, consulatu dixisse.

Gravior utique testis producendus est Quintilianus, quo diligentia accuratiorem, veritate integriorem, acumine instructiorem, eruditione paratiorem antiquitas habet neminem. Sed quo plures viri nomen virtutes sustinet, eo diligentiorem in rebus gravioribus nos oportet operam ponere, ne fama gloriaque capti erroribus ultro citroque implicemur. Falsum si quid deprehendemus, homines nos et Quintilianum ideoque fraudibus obnoxios esse recordabimur, nec vehementer eum, nisi in re aperta ac facili, in qua erroris fuga sine molestia patebat, erratum est, νέμεσιν reveriti accusabimus. Mallem Quintilianum liberum omnino ab

9) Phil. II. cap. ult. Orat. IV, 2, 8. Quint. 6, 3, 109. Dio Cass. p. 449 ed. Reim. καὶ ὁ μὲν γὰρ θάνατος οὐκ ἂν ἄωρος ἄλλως τε καὶ περὶ τοσούτων ἐτῶν ὑπατευκότι μοι γένοιτο καὶ μνημονεύσετε, ὅτι τοῦτο καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ὑπατείᾳ ὑμῖν εἶπον.

omni reprehensione. Sed culpemus diligentiam necesse est. Qui enim declamationem, quae in M. Tullium exstat, incipientem verbis: „graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, Marce Tulli,“ Sallustio, orationem de haruspicum responsis Ciceroni tribuit [10]), ne dicam de oratione, quae est pro Archia poeta noviesque laudatur: is quamvis egregius in reliquis rebus ne queritor iniuriam acceptam, si testimonio sine dubitatione fides non adiungetur. Omittimus tamen quae ad orationem quartam in Catilinam non pertinent. In quo tamen vehementer veremur, ne etiam hoc modo iniuriam Quintiliano, viro clarissimo, intulerimus, immeritaque suspicione maculaverimus famam. Itaque alio loco de eo renovabimus disputationem, operamque dabimus, ut non solum fides ei, qua est dignus, restituatur, sed etiam nobis inveniantur argumenta. Observandum est enim, a Quintiliano locum, in quo verba exstent, indicari nullum, qui fortasse longe alius fuit, atque hodie existimatur [11]).

Age, sit Plutarchus levis testis, vetus commentator imperitus, Dio Cassius errori obnoxius, Quintilianus iam non advocandus, quid Cicero? Cuius gravissimum testimonium restat, ut de omnibus dixerimus. Quod quo pluris iure fiat ab omnibus, eo accuratiove diligentia uti oportebit. Ac dolendum est, quod haec causa (nihil enim occultabo fretus prudentia ac sapientia iudicum meorum; neque enim ulla spes est data fallendi neque id mei est consilii) non iis praesidiis firmari potest, ut quemvis impe-

10) Quint. instit. 4, 1, 68. 9, 5, 89. 11, 1, 124. 5, 11, 42. Non me fugit exortos aliquos, qui illa exempla putarent ab alienis interpolata. Quorum doctrina mihi tamen suspecta est. vid. Cort. ad Sall. p. 1028.

11) „et est quum ita dixit.“ sic Quintilianus.

tum, qui inferatur, vi atque impressione repellamus et evertamus. Iniqua contra est oblata conditio, quia arma, quae essent ad omnes dubitationes discutiendas validissima, fabricanda antea sunt, uti iis non licet, summum adversario verbis minitari. At vero si modo aliquid verisimili coniecturae tribuetur, unaque, quae et contra illa verba Ciceronis disputabuntur et postea de tota oratione, animo comprehensa expendentur, id sane fortasse obtinebimus, ut ad veritatem proxime accedere nostra videatur sententia. Ac si id non efficietur, ut rationibus nostris a sententia adversarium abducamus, tamen nos eo speramus perventuros, ut probabilitatem aliquam coniecturae concedat.

Neque vero statim ad illa verba, de quibus multa iam dixi, disputatio potest reverti, nisi antea, quoniam illa res plurimum ad veritatem eam, quam quaerimus, inveniendam valet, de computatione et de notatione annorum et dierum ea, quam sit Cicero in libris secutus, paucis hoc loco ea, quae necessaria sint, exposuero. Quod eo magis video necesse esse, quo saepius hac in re viros doctos scopulis errorum adhaesisse animadverti. Asconius Pedianus, Aldus Manutius, Ferratius, et ille eximius rerum antiquarum investigator, Dio Cassius, quamquam pleraque acute viderunt, tamen annorum atque dierum rationem non videntur satis perspexisse [12]), atque ita contigit, ut, ubi numerus summa cura diligentissime finitus esset, incertum, computationemque non subtilem factam sed summatim tempus breviter comprehensum existimarent. Sed de horum erroribus postea; res ipsa iam agatur. Satis constat

12) Ascon. Ped. ad orat. in Pison. c. 2. Manut. ad orat. in Cat. I. Ferrat. in epist. p. 206. Dio l. c.

et aliis antiquitatis indiciis et iureconsultorum formulis, non perinde, atque nos hodie, veteres Romanos annorum et dierum numeros in rationes retulisse. Primum in eo dissentiebant, quod affectos dies annosve pro confectis completisque ponebant eosque ea lege putabant, ut utrumque terminum, qui primus esset et qui ultimus, summa numerorum comprehenderent. Cuius ego rei causam fuisse credo, quod illi, si annos computarent, consules; in dierum summa numeros Kalendarii Romani sequebantur [15]).

Quibus constitutis ad Ciceronem revertimur, ut perquiramus, quam apte numeri, qui in eius libris reperiantur, ad calculos, quos posuimus, redigantur. Expedita sane ratio est, ut uno atque altero exemplo nullo negotio intelligitur. Si enim Cicero initio orationis Philippicae secundae viginti annos a se consule ad M. Antonium consulem memorat: rectissime ille rationem more Romanorum subduxit. Nos quidem ex nostris putandi legibus, quia exeludimus ex ratione annum, qui Ciceronem habuit consulem, undeviginti tantummodo numeramus; eundem vero annum adiecit computationi Cicero; atque ita viginti anni nascuntur; nam a se consule vigesimum consulem inveniebat M. Antonium. Ubi igitur ex his conditionibus ratio facile confici potest, non licebit de indefinito numero cogitari. Quem satis erit illis in locis accipi, quibus verba paene, prope aliaque accedant. Multo vero rarius animadverti a Cicerone relinqui numerum indefinitum, quam

15) Distinguendum est, quum habere aliquis aliquot annos dicitur. Quod quum fit, alteri consules excluduntur. vid. Cic. Brut. 43. Liv. 119. 120. Ceterum neminem Bentivolii annotationem ad Ciceronis epist. ad Att. 5, 7 legisse poenitebit.

vulgo creditur; idque sua vi atque natura probabilius est, quia Cicero ex ea re laudem eruditionis quaerere solebat. Id perspicue eo libro potest intelligi, qui Cato sive de senectute inscribitur. In quo libro etsi plurimi numeri leguntur, omnes tamen poterunt, si modo integra sit et incorrupta notatio et scriptura, termino utroque computatione comprehenso facile expediri. Ceterum haec erat consuetudo illius seculi [14]).

Atque dierum ratio, etsi non tota, tamen in universum convenit cum annorum indiciis; conveniret autem usquequaque, nisi alia lege subduceretur, quia numeri Kalendarii Romani colligendi sunt. Saepe vero miratus sum, quod in hac re Asconii diligentiam desiderabam; veram enim rationem, si maiorum suorum consuetudinis memor fuisset, facile invenisset. Multo magis vero id mirum est, quod grammaticus antiquus P. Manutium, subtilissimi virum iudicii, in societatem erroris abduxit. Atque Asconius, ut dicamus breviter, qua in re falsus sit, quum a Cicerone in oratione, quae est prima in causa Catilinae, perscriptum vigesimum diem vidisset, numeratis ex suo more diebus ab eo die, ex quo senatus consulibus rem publicam commisit, ad eum diem, quo habita est oratio, numerum non convenire

14) Numeri ambiguitate, ut verissime existimari potest, contigit, ut anno a C. Caesare ad solis vicissitudines emendato ex ipsa emendatione sacerdotes novum sibi facerent errorem. Nam quum oporteret diem, qui ex quadrantibus conficiebatur, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalari, illi tertio transacto, incipiente quarto, intercalabant. Postea nomen quadriennii retinuit Augustus ea emendatione erroris sacerdotum usus, ut quinto quoque anno incipiente diem iuberet intercalari. Huius rei Macrobius auctor est.

animadvertit. Itaque quo probabilem excusationem inveniret, tempus esse breviter comprehensum summatim dixit. Hoc ita scriptum est in eo commatario, quo orationem Pisonianam illustravit (2, 4); eumque secutus est Manutius. Dinumeratis vero diebus ex more Romanorum, additoque die, quo senatus consultum de Catilina factum sit, qui dies esse ante d. XII. Kal. Nov. videtur, tum eo die, quo Cicero Catilinam excitavit et urbe eiecit, viginti dierum ratio planissima apparebit. Quo id accuratius cognoscatur, ipsam adiiciemus computationem, ne ulla remaneat dubitatio. Primus dies est ante d. XII Kal. Nov. postremus ante d. VI. Id. Nov. Ex priori numero duodecim dierum mensis Octobr. rationem subducimus; eisque quartuor dies addemus mensis Novembris, qui ante Nonas erant, tum Nonas, postea illum diem, quem nox, qua Catilina in domum M. Laecae cum sociis convenit, est secuta i. e. VIII Id. Nov., deinde quo Cicero senatum vocavit, denique quo in Catilinam in senatu dixit, numeratisque omnibus plenissime summa viginti dierum colligitur [15]). Quos quidem dies si, ut nos hodie solemus, computamus, ab ante diem XII Kal. Nov. incipientes et ad ante VI Id. Nov. continuantes rationem, undeviginti dies tantum inveniuntur; As-

15) XII Kal. Nov. 12
IV dies ante Non. 4
Non. 1
a Nonis ad ante VI Id. Nov. . . 3

20.

Quid? Nonne eodem modo nundinas componi solitas accepimus? Conferendum est Kalendarium Romanum. Varr. l. l. 5, 5. Gell. 2, 21. Fest. v. Quinquatrus.

conius vero his, quos dixi, diebus omissis non plus XVIII dierum subducere rationem potuit [16]).

Neque maior ambiguitas deprehendetur in numero, qui est in oratione, quae pro Plancio inscribitur. Cui si subtraxeris eos dies, quibus nihil agi in senatu solebat, viginti dierum summa convenit. In maiore numero tamen quum praesertim subtilissime definiri nihil attinet, facilius impetrabitur venia ambigui et incerti numeri, ut est in initio orationis in Pisonem, in qua triginta sex annos dici oportuit, dicuntur quadraginta [17]). Nisi in hac re fallitur Asconius [18]).

16) Eadem ratione Asconius alio quoque loco tempora computavit. Nam si a C. Mario VI. L. Valerio Flacco coss. ad Ciceronem consulem triginta sex annos colligit, numerus constare, nisi excluso utroque termino, non potest. Idem faciendum est in commentario orationis secundae pro C. Cornelio.

17) pro Plane. 37, 90. in Pis. c. 2. Locus orationis Plancianae adeo codicum discrepantia incertus est et dubius servatus, ut in neutram partem argumentandi valeat ratio.

18) Non solum Asconius triginta sex annos numerat, verum etiam Dio Cassius (37, 26 p. 128). Facile intelligitur, unde hic numerus natus. Asconius aut errore non caret aut vitiatis usus est codicibus. Si enim ulla coniectura hodie vera potest dici, sane erit verissima iudicanda, qua utendum in oratione Pisoniana censemus. Pro *quadraginta annis* aut XXXX scribendum est *duodequadraginta* aut XXXIIX, quo consuetudini loquendi numerus accommodetur. Consules enim a C. Mario VI consule qui fuerunt ad M. Ciceronem primis postremisque numero adiectis, duodequadraginta reperiuntur. Itaque facile potest corruptela non admodum infrequenti locus liberari, Ciceronique restitui laus veritatis historicae, quam studiose consectatur. Dionem Cassium consuetudinem Graecorum secutum non censeo reprehendendum. Simile genus corruptionis est in inscriptione apud Orellium Nr. 534 et 5053.

Video adhuc constare omnia atque etiam illud effici, ut appareat, rarius annorum numerum, quam vulgo putant, a Cicerone relinqui indefinitum. Sed sunt, qui, quo haec recte disputari negent, argumentis utantur orationibus Philippicis. Cicero enim in secunda Philippica: „Quonam meo fato, inquit, patres conscripti, fieri dicam, ut nemo his viginti annis reipublicae fuerit hostis, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit.“ Et consentanea sunt, quae eiusdem orationis epilogus continet. Adde orationem sextam (6, 17): „Rudis (Cicero) in republica? quis exercitatior, qui viginti iam annos bellum geram cum impiis civibus.“ Nec discrepant verba orationis Philippicae duodecimae (10, 24.): „Res declarat. Vigesimus annus est, quum omnes scelerati me unum petunt.“ Hactenus Cicero. Sed illi: Nonne, inquiunt, secunda Philippica M. Antonio consule, sexta ac duodecima anno post A. Hirtio C. Vibio Pansa coss. habitae sunt? Quod si fateberis, tum pergent quaerere: Ut concedamus,

Apud Asconium vero in fine commentarii orationis, quae pro C. Cornelio est, in veteribus libris est: II et XL. Legendum II de XL. Et in Ciceronis libro, cui nomen Catoni Maiori est, pro *undevigesimo* in Cod. Erf. *vigesimo* est. Atqui, dicet aliquis, epistola ea, quae est ad Atticum septima libri septimi aperte falso de Caesaris imperio, annorum decem fuisse, traditur a Cicerone, qui solum octo fuerint. Venit enim Caesar anno 696 in provinciam; littera scripta est anno 704, quo tempore erat ex Gallia discessurus. Facile vero responderi poterit: quum daretur imperium bis in quinquennium, numerum videri de nomine quinquennii ductum. Verum tamen non opus est, ita defendi Ciceronem in omnibus secutum consuetudinem loquendi. Quod intelligitur ex Ammiani Marcellini verbis, qui ita scripsit (15, 12): Gallias post decennalis belli mutuas clades subegit Caesar. cf. ad Att. 7, 9.

id quod facile largiemur, numero ordinali, quem vocant, eundem significari annum, quem numerus, qui cardinalis dicitur, complectatur [19]), tamen unde idem numerus in

19) orat. Phil. 6, 6, 17. et 12, 10, 24. in altera *viginti annos*, in altera *vigesimum annum* habes. Quint. 12, 6, 1: Caesar Augustus *duodecim annos* natus aviam pro rostris laudavit. Idem narrat Suetonius vit. Aug. 8: *duodecimum annum* agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit. Quint. 12, 6, 6: ut totus ille Ciceronis pro Sexto Roscio locus; Quid enim tam commune etc. Quae cum *sex* et *viginti* natus *annos* summis clamoribus dixerit etc. Fenestella apud Gellium 15, 28 sextum vigesimum annum dixit. Videntur Quintilianus et Fenestella ex eodem ambo fonte sua hausisse. Suet. Tiber. 73 obiit — tertio et vicesimo (anno) imperii. Scriptor. dial. de causis corrupt. eloq. 17: adiice Tiberii tres et viginti (annos imperii). Neque vero inutilem laborem mihi videbor suscipere, si Suetonii locum nondum, quantum scio, satis explicatum illustravero. Viri docti quum numeros convenire in his verbis (c. 8): *duodecimum annum agens aviam —— laudavit. quadriennio post virili toga sumta militaribus donis donatus est* cum Nicolai Damasceni auctoritate, quae est perscripta in excerptis Valesianis, negarent, de menda locum Suetonii suspectum habebant. Nicolaus autem haec memoriae prodidit: *Κατέβαινε δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιστα γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὥστε ἀποδέεσθαι μὲν ἀνιὼν ἤδη τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα, ἀναλαβεῖν δὲ τὴν καθαρὰν σύμβολον οὖσαν τῆς εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς.* Nulla difficultate verborum intelligentia obscuratur, si Graecorum rationes a Romanorum dissidere meministi. Augustus aviam laudavit anno duodecimo i. e. duodecimis consulibus i. e. quum ita numerantur anni, ut uterque terminus rationi accedat: ergo Cn. Pompeio Magno, Quinto Metello coss. anno p. u. c. 702. His annis addendum est quadriennium, non quatuor anni. Nam tres anni, quibus unus solus dies superat, quadriennium vocantur (vid. p. 49). Consequitur igitur, Augustum, si annis expletis undecim aviam laudavit, et tribus annis post, fortasse natali quinto decimo, togam puram sumsit, natum fuisse quatuordecim annos. Haec vero cum Nicolao Damasceno planissime congruunt.

tribus Philippicis anni spatio distinctis nascatur, nobis non constat. Difficile respondendi negotium. Dicerem loco me motum, nisi immerito quaestionem moveri intellexissem. Quid ita? Cicero quod recte scripsit, falso interpretes acceperunt. Consulem vigilantem pro communi salute peti ab improbis, quid mireris 20)? Ciceroni autem, civi egregio, ipsius nomine impetum non intulerunt. Hunc expleto, quo consul erat, anno auctoritate et gratia florentem omnes scelerati adoriebantur. Quid igitur dubitas, quin ille oratione Philippica secunda coniuratos, reliquis orationibus annum, quo primum in tribunicios furores inciderit, illis verbis significarit 21)? Quod ut ratio postulat cogitari, ita vis verborum et consuetudo loquendi. Ferratius quidem modo addi utrumque terminum numero existimavit, modo excludi, atque hac ratione omnia tempora ad calculos dirigere est conatus. Sed mirum ego iudicarem, si id pro diverso numerorum genere scriptores observassent, ut, quum vigesimum annum dicerent, alterum terminum excluderent, quum viginti, utrumque amplecterentur 22).

20) pro Murena 38, 82. Non isti me meo nomine interfici, sed vigilantem consulem de reipublicae praesidio demovere volunt.

21) Quod ut recte videar statuisse, non solum orationis, quae pro Murena est, locus, quem modo descripsi, verum etiam simillima alia enunciatio Ciceronis efficit (de orat 1, 1, 3). Nam prima aetate, inquit, incidimus in ipsam perturbationem veteris disciplinae, et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen; et hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi in nosmet ipsos redundarunt.

22) Ferratius hoc fere ita factum esse contendit, quemadmodum eadem ratione numeros eius libri, qui Cato Maior

Oppressa republica regio dominatu Romani numerandi rationem sensim videntur immutasse. Qua etsi semel uti Gellium videamus, in eo a consuetudine temporis sui, quod consules numerabat, fortasse recessit; quae aliis habet locis, non item conveniunt. Velleius, Florus, reliqui frustra ad hos calculos revocantur, interdum Suetonius ita explicandus est. Quo minus mirandum est, si Dionem Cassium aut Graecorum consuetudo aut hominum sui saeculi imprudentem induxit atque decepit. Nisi forte verbum prope, quod est apud Ciceronem in Philippica secunda, minus grave, quam quod diligentius attenderet, ducebat [25]). Nobis vero id ipsum verbum gravissimum videtur, quia in eo nervi argumentationis consistunt.

Ciceronis inscribitur, explicare conatus est, scilicet ut Asconium vera praecipere, in errore versari Ciceronem ostendat. Iam aliter de eo antea iudicavimus, ubi verissimas dierum notationes a nobis investigatas apposuimus (p. 44). Duo tamen exempla non possunt silentio praetermitti, quum praesertim ad ea, quae antea exposita sunt, pertinere videantur. Alterum est in eo libro Ciceronis, qui Brutus appellatur (c. 43); alterum in eorum librorum, qui sunt de oratore, altero. Sic autem Cicero in Bruto: His enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus (Cicero), cum ipse (Crassus) esset Q. Caepione natus et C. Laelio, triennio ipso minor quam Antonius. Et in secundo de oratore (89, 364): An aetatem afferet? quadriennio minor est (Crassus quam Antonius). Hactenus Cicero. Videntur haec Ferratio vires addere; sed videntur tantum addere, non addunt. Priore loco *ipso triennio* i. e. tribus annis penitus completis, ut non solum nihil deesset, sed redundaret etiam; posteriore autem ea, quae redundant, collecta ad quadriennium, quod non est explectum, comprehenduntur. Ergo in vocabulo *ipso* magna vis inest. Ciceronis vero nonnihil intererat altero in loco eius libri, qui de oratore inscribitur, ne quidquam de summa induceretur. vid. Corr. ad Brut. 92.

25) A. Gell. 15, 28. Vell. 2. 59 et aliis locis. Dio C. p. 449.

Verum haec iam ita relinquamus, ut tamen intuentes et respectantes eo transeamus, ut consideremus, quid ex iis, quae disputavimus, consequatur. Primum intelligitur numerum indefinitum apud Ciceronem reperiri rarissime in annorum notationibus; tum distingui illius consulatum a consulatu M. Antonii viginti annorum intervallo, idque sine ulla alia definitione simpliciter referri. Haec sufficiunt rationibus nostris. Concludimus enim, si consulem se Cicero ista de morte immatura dixisse in cella Concordiae recordaretur, eum vocabulum illud prope praetermisisse. Nam parum id me commovet, ut a sententia discedam, quod duo menses numero viginti annorum desunt; si quidem orationem Philippicam ita instituit, ut ante diem XIII Kal. Oct. habita videretur. Hodie nos quoque, qui diligentiores esse solemus, in multo paucioribus annis, nisi magna res geritur tam subtilem temporum rationem non tenemus; multo minus Romani olim tanta harum rerum incuria tenuerunt. Illis annus sine ulla subtili definitione nominatus sufficiebat: sic referri usus tulit; si prope accessit, illico non de anno, quem indicabat numerus, sed de proximo vel utique de prioribus i. e. de numero minore, quam verbo significatum erat, solebant cogitare. Cicero igitur, si dixit prope viginti, non annum se consule, sed potius Murena et Silano consulibus isto vocabulo prope significavit [24]).

24) Cogitandus enim erat annus, qui erat vigesimo inferior. Is primus erat Silano et Murena coss Ceterum usurpato illo *prope* vocabulo valde incerta fit ratio. Quod intelligi potest actione prima in Verum (15, 58), in qua ita scriptum est; quum equester ordo iudicaret annos prope quinquaginta continuos. Haec Cicero. Fuerunt anni quadraginta

Sed procedamus longius. Conemur illud etiam conficere, ut multo fiat verisimilius, verba ista Ciceronem dixisse deposito consulatu. Cuius rei exstat argumentum leve quidem ac tenue nobisque diu improbatum. Sed initio ut leve putabamus, ita tempore, quo diutius animo obversabatur, viribus succrescebat; ut reluctabamur, ita reluctantibus fortius occurebat. Nulla enim ratione, nulla coniectura assequi potuimus, quae causa fuerit Ciceroni, cur se, qui consul esset, consularem nominaret. Et tamen hoc nomen et apud Ciceronem et apud Quintilianum perscriptum videmus. Nominato consule criminis atrocitatem, quo gravius est consulem occidi quam privatum, impense augeri existimabamus. Illius enim caede magna clades a republica accipiebatur; privati casus ad pauciores pertinebat [25]). Adde honorem defuncto in officii ac muneris functione a veteribus habitum. Quo perspicue intelligitur, consulis obitu nullum fama populari gloriosiorem esse creditum. Cur igitur se consularem? Id vero probabile non videtur, consularis nomine dici consulem. Rebus enim si vox consularis adiungitur, quae consulis sunt aut consulatus, significat; sin homini, qui consul fuit. [26]) Nec contrariam sententiam

et alter i. e. inde ab anno p. u. c. 632 ad 673. M. Tullio Cn. Dolabella coss.

25) Cicero ipse eius sententiae auctor est (Phil. 2, 13, 31.): Confiteor, inquit, eos —— plus quam parricidas esse, si quidem est atrocius patriae parentem quam suum occidere.

26) Apud Ciceronem in oratione pro Milone 33, 89. *consularem virtutem* viri consularis interpretantur. Verba sunt; deinde quis in eo praetore consul fortis esset, per quem tribunum virtutem consularem crudelissime vexatam esse meminisset. Virtus consularis dici nisi de eo, qui consul est, non potest. Forsitan recte consulis facta Ciceronis praeclara intelligantur. Quid vero momenti haberet,

epistola Ciceronis (ad div. 10, 7.) tuebitur, rectissime illa iam pridem a Manutio explanata. Quae quum ita sint, neque vim loquendi neque verborum consuetudinem teneremus, si hanc vocem ad consulem Ciceronem referremus. Necessitate fere quadam eo ducimur, ut annum Murena et Silano consulibus cogitemus. Et si praeterea illud prope viginti annos non abiiciatur, mira verborum nascitur conspiratio, sed ea tota omni ex parte fatiscens et dilapsura, si aliam interpretationem potiorem duxeris. Adepti igitur sumus duo haud contemnenda argumenta, quorum auctoritate nixi Ciceronem, alio tempore, quam in consulatu, sententiam de immatura morte sapientis eam, de qua multum disseruimus, statuamus enunciasse. Cuius sententiae magnum in illa re firmamentum est ac praesidium, quod, quum nullum eius opinionis, quae illi opposita sit et contraria, adiumentum repertum sit, alterius sententiae, quam tueri pro viribus conamur, rara quidem at satis alte impressa et fixa, ut agnoscantur, in veterum libris vestigia inveniuntur. Apparet enim satis manifesto cogitatione periculorum, quae insequi virtutem solerent, et atrocitate inimicorum contigisse, ut in illam sententiam Cicero incideret. Haec vero oratio mea non eo pertinet, quasi illum nihil consulem pertimuisse existimem. Immo pertimuit multa. Verum tamen, quod quidem ex testimoniis veterum con-

si qui tribunus plebis eius, qui aliquando consul fuit, res gestas reprehensione persequatur severa et acerba? Eane re magna ostenditur insania ac furor, cui nemo consul resistat? Quid Metellus, aliique? non gravius accusandi illi, quam Clodius? Ex quo fit probabile, non esse verba de alio accipienda, nisi de consule, cui Clodius tribunus plebis fuerit. Is Bibulus est. Quo id certius existimandum sit, Dionis Cassii, longe omnium optimi scriptoris, testimonio efficitur. cf. 38, 12 p. 157.

ficitur 27), non eam timuit atrocitatem periculorum, non eam inimicorum acerbitatem, quam non posset, rerum gestarum suarum memoria et virtute sua confisus, a salute fortunisque facile propulsare; quum vero anno consulatus exacto tribunicios furores in se concitatos, neminem fere in auxilium suum paratum; ad evertendam salutem, famam lacerandam, hominem e civitate eiiciendum erectos et alacres inimicos, amicos partim desides, occulte irasci, aperte gloriae suae invidere, partim non defendere animadverteret: tum denique edoctus, quibus vita salusque esset obiecta periculis, perfugium quoddam videtur sibi et solatium ex scientia factorum suorum quaesivisse. Quod, quidquid est, ex aliquot orationis Metellinae reliquiis atque ex iis, quae non solum de oratione Cicero, verum etiam de toto illo tempore memoriae prodiderit, manifestius uberiusque arbitramur perspici. Quo haec accuratius intelligantur, nonnulla subiecimus verba Ciceronis ad Metellum de eius fratre sic scribentis (ad div. 5, 2): Ante diem tertium Non. Jan., inquit, quum agere coepisset, tertio quoque verbo orationis me appellabat, mihi minabatur; neque illi quidquam deli-

27) Quam leniter oratione prima Cat. §. 28 de invidia periculique metu disputat, profecto non quo extenuet, sed quia aliter non putavit eventurum. Orationi plurimum illi censeo tribuendum, quia non ita multo post edita videtur. Sall. Cat. 31. At vero, etiamsi non exstaret oratio, tamen non vacillaret iudicium nostrum de veritate propositae sententiae. Nam oratio, quae pro P. Sulla est, eo argumento est scripta, ut et alia multa Cicero de se posset et id ipsum ingenue profiteri. Deos enim immortales ait sibi dedisse eam mentem, ut caveret pericula, quae ea atrocitate imminere non esset suspicatus. Itaque oratorio modo ea dicta sunt, quae nonnunquam de morte et exilio, quod ante oculos sibi obversatum variis locis recordatur, aliisque de periculis praedicat. In his plus valent, quae supra scripsi.

beratius, quam me .... vi atque impressione evertere. Huius ego temeritati si virtute atque animo non restitissem: quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret quam consilio fortem fuisse. Haec ille; adde ex oratione Metellina: escendi in concionem; concursus est populi factus. Nec aliena sunt, quae alio loco dixit: Qui animum, inquit, hostilem habet et cuius facta hostilia sunt. Tum alia verba multa declarant frequenter Ciceronem fecisse in illa oratione factorum et periculorum suorum mentionem. Dediderim, ait, periculis omnibus, obtulerim insidiis, obiecerim invidiae. Et: Quaero ab inimicis: sintne haec investigata comperta, patefacta sublata, delata exstincta per me? — Quid esset mirum, si orator, qui adeo multa et crebro de suis laboribus, sollicitudinibus, periculis recordabatur, sortis humanae memor solatium in eo, quod mors consulari tantis rebus gestis non immatura esset futura, reposuisset.

Non nos fefellit, argumentorum, quae explicavimus, maximam partem probabilitate niti talibusque coniecturis, quales hodie invidioso nomine hypothesium infamare solent. Dura profecto sors scribendi de rebus, quae non possunt non in coniectura esse positae. Atque abiiceremus continuo omnia, nisi allata quoque, quae tum historiae vestigiis tum necessitate ratiocinandi insisterent, argumenta nossemus. Neque iudices, qui una omnia, quae explicaturi simus et explicaverimus, animo atque cogitatione comprehensa in iudicando sibi proponerent, defuturos nobis speravimus. Hinc illa quoque spes affulsit, etiamsi de ista mortis non immaturae sententia nihil contra posset dici, tamen non tantum in ea esse praesidii repositum, quo oratio, quae quarta in Catilinam vocatur, omni fraudis

suspicione exsolveretur. Quod quid sit, in illustri positum exemplo intuendum dabimus accuratius. Si forte oratio, quae pro Plancio est, temporum vicissitudines non tulisset, olim vero magna omnium admiratione fuisset, sicut fuit, celebrata, Quintilianusque aliique multi [28]) praeclaris quibusdam ex ea depromptis sententiis aeternitatem suorum librorum monumentis ac testimoniis peperissent: nosque has sententias amissa oratione nec indicato nomine orationis, ex qua depromptae essent, legeremus: si forte quae oratio Planciana cum ea, quae post reditum ad Quirites inscribitur, habet communia, ea ratione, qua diximus, non interiissent; idcircone haec posterior oratio vere esse Ciceronis existimanda esset, ut non liceret de veteratoris fraudibus cogitare? Non opus erit sententiam quasi saepimento vallare disserendi ratione. Orationis vero, quae in Catilinam quarta fertur, non alia ulla, quam diximus, defensio in omnibus veterum libris, quantum a nobis cognosci potuerunt, reperta est. Hoc ut in se spectatum magnum est, ita in primis necessarium, ne in iudicio negligatur; et si forte sunt, quae adiuvare vulgarem opinionem apud scriptores veteres videantur, ea omnia accuratius cognita magis adversantur, quam prosunt.

Quid si inter apophthegmata illa sententia referenda est? si ore famaque hominum suscepta ac propugata in notitiam declamatorum venit? Quis est, qui nesciat, eiusmodi facete et acute dicta a veteribus, quibus otium esset, tanto studio collecta esse, totos ut libros ἀποφθεγμάτων conficerent, falsa et vera iuxta non discernerent, ut ne parum multa collegisse viderentur. Cicero ipse scriptum reliquit,

28) vid. Gell. 1, 4. De reliquis vid. pro Planc. 28, 68. post redit. ad Quir. 9, 23.

multa, quae non inficete neque rustice essent dicta, quamquam non dixisset, satisque notata atque distincta, ut facile cognoscerentur, sua edidisset, falso sibi attribui. Quod si illi plus in congerendis studii quam iudicii in eligendis adhiberent, ideoque multa falsa reciperent, quid mirum videtur, si verum aliquid atque genuinum non interciderit [29])? Quid si declamatores haec facete et eleganter dicta, partim ut fraudem inscripti ementitique nominis tegerent, partim ut orationes suas colore quodam Tulliano tingerent habituque ornarent et formam figuramque verarum orationum exprimerent, libentissime arripuerunt, amplificarunt, nostrisque servarunt temporibus. Imperitos enim, qui vera iudicant, quae aures fucato lepidoque sono belle tangunt, haud aegre deceperunt; peritos fortasse interdum haud secus, *ut* saltem in sinu; quod dicitur, felici fraudis successu nonnunquam gaudere possent. Cui rei, nisi me fallit opinio, egregio documento est oratio, quae post reditum in senatu inscribitur. Quum enim Cicero aliquando a *cuncta* Italia paene se humeris ex exilio in urbem reductum esse dixisset, neque id unquam, ne arrogantior videretur, litteris consignasset: tamen non interiit dictum, sed ore hominum, si Macrobio fides est, conservabatur. Eo vero ornamento declamator, cuius opera oratio, quae in senatu post reditum dicitur habita esse, hodie exstat, ad fraudem occultandam usus est [30]).

29) Cic. ad div. 7, 32. 9, 16. 15, 21. Quint. 6, 3, 5. pro Planc. 14, 35.

30) Macrob. 2, 5 Saturn. Ulcisci autem se Cicero videbatur, ut qui respondisse sibi Vatinium meminerat, quum humeris se reipublicae de exilio reportatum gloriaretur, Unde ergo varices? cf. declamat., quae in Ciceronem fertur Sallustii nomine inscripta c. 4.

Ut vero ἀπόφθεγμα illud quoque in oratione Catilinaria credam, multa me signa atque indicia admonent. Primum ipsa Quintiliani commemoratio incerta admodum ambigue de loco dicentis; deinde causa, cur citetur, nomenque eius generis dicendi, quod ἀποφθεγματικὸν vocabatur; tum Domitium Marsum, a quo ego illud Quintilianum accepisse satis gravi de causa existimo, video usum ἀποφθέγμασι; postea quod non plura exempla, quam unum, in illo Quintiliani loco ex orationibus deprompta sunt, denique quod sapienti orator gravem mortem negat accidere [31]). Quod si ita, ut hodie est, in senatu dixisset Cicero, arrogantius, quoniam ipse se significasset unique sapientiam sibi vindicasset, videretur dictum, quam quod aures gravissimorum et eruditissimorum virorum, Catonis, L. et C. Caesarum, Servii Sulpicii, C. Pisonis, Q. Catuli tulissent [32]). Neque vero Quintilianus ab eiusmodi facete dictis abstinuit; exemplum mandavit libro secundo (17, 21); tum ille locus, quo optat, ut prudentius Ciceronis essent collecta, satis cognita eum illa habuisse testificatur [33]).

Quid denique, si orationem Philippicam, a qua tota

31) Qint. 6, 5, 102 — 112. (Domitius Marsus ponit exemplum) medii, quod ἀποφθεγματικὸν vocat, et est quum ita dixit (Cicero): neque gravem mortem accidere viro forti posse etc.

32) Cic. de orat 2, 82: Haec in senatu minore apparatu agenda sunt; sapiens est enim consilium, multisque aliis dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenii ostentionis suspicio. Concio capit omnem vim orationis et gravitatem varietatemque desiderat. Hactenus Cicero, scientissimus rerum omnium, quae apte decoreque dicantur, arbiter. Quo ego iure senatus gravitati congruere sententiam negaverim, intelligitur oratione, quae est in Pisonem 14, 33.

33) cf. Quintil. 6, 3.

disputatio orta eát, non accepimus talem, qualem Cicero edidit? Si multa interpolata, multa adiecta, multa mutata sunt? Quid quod F. A. Wolfio, harum rerum accerrimo investigatori optimoque iudici, falsitatis suspicio suboluit? Quid si Iuvenalis orationem non omnino eandem, quam nos admiramur, divinam nominavit [34])? Sed sit oratio Philippica, ut nos putamus, genuinissima, quid obstat, quominus declamator non satis providus discrepantiae numeri ex ea, ut alia multa, ita etiam sententiam illam petierit? Multi sane loci sunt in veterum scriptorum libris, qui quantae oratio Philippica grammaticis fuerit admirationi, luculentissime declarant.

Quum igitur testimonia, quae ad nomen Ciceronis orationi quartae in Catilinam conservandum retinendumque afferantur, valde sint infirma, ut supra a nobis demonstratum existimamus, iisque multo graviora possint opponi, quibus prorsus obruantur atque offuscentur: magis erit de veritate vulgatae opinionis dubitandum, si haec omnibus Ciceronis dictis effatisque et plurimorum scriptorum auctoritati repugnet. Quid, si appareat et fere necessario ex summa rerum memoriaque, quae de coniuratione Catilinaria ad nostra tempora venerit, concludatur, Ciceroni non esse eiusmodi orationem, qualis quarta in Catilinam sit, attribuendam? si aliter iudicetur, mira ubique dissidia nasci, multasque repugnantias? Illud vero est, quo contendimus, illud defendimus. Adiunge his aliam rem utilissimam quaestioni in eo positam, quod omnia, quae memoria litterarum conservata sunt, non possunt inter se conciliari neque con-

34) Sat. 10, 125. Ridenda poemata malo, quam te conspicuae, divina Philippica, famae, volveris a prima quae proxima.

venire, nisi si Cicero retulerit de convictis reisque coniurationis, senatum cohortatione ad fortiter iudicandum excitarit, iudicaritque ipse, antequam senatum consuleret, postea vero, quod maioris momenti esset, nihil addiderit. Oratio vero, quae hodie fertur, ante Silanum et Caesarem dicta esse non potest, neque Caesari aut Silano ante relationem publice in senatu verba facere licebat: consequitur igitur, ut illa, quia post Silanam et Caesarem introducitur, relatio existimari non debeat. Inde illud nascitur, si consul ad senatum referens orationem addiderit, posteaque, quum alii dixissent, denuo verba in senatu fecerit: habuisse eum duas orationes. Hoc quo auctore quis comprobaturus sit, non assequor; et tamen erit necessarium probari, si cui in vulgari sententia virorum doctorum standum esse videatur.

Sed quid argumentor utorque conclusionibus, quibus disputatio postea demum vires ex veteribus libris additura est, ubi Ciceronis verba liceat clarissima expromere? Quid apertius est, quam quod ad Atticum sic scribit (12, 21): Legi Bruti epistolam, eamque tibi remisi sane non prudenter scriptam ad ea, quae requisieras. Sed ipse viderit, quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse: quam omnes ante dixerant praeter Caesarem, et cum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis — — — Silani, Murenae, designatorum consulum; cur ergo in sententiam Catonis? quia verbis luculentioribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique, antequam consulerem, ipse iudicarim. Quae omnia, quia Cato laudibus extulerat in

caelum, perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio. Hactenus Cicero. Locus cum propter ea, quae dilucide aperteque referuntur, valde memorabilis videtur, tum eo multa, quae utilissima sunt quaestioni institutae, continentur commodeque colliguntur. Mitto alia; ad graviora, quae causam constituunt, propero. Primum enim, de quo non potest dubitari, consequitur, Ciceronem non solum retulisse, verum etiam cohortatum esse senatum. Relatio quidem, ut videtur, paucis verbis inornatisque confici potuit; cohortatio, ut ego mihi persuadeo, breviter inornateque, nisi importuna ac subita iniquae fortunae vis ingenium et dicendi facultatem Ciceronis exstinxit improviso, absolvi non potuit. Quod redditur manifestius adiunctis expensisque reliquis testimoniis, quae dilucidis perspicuisque epistolae verbis continentur: iudicasse Ciceronem, antequam consuleret. Nascuntur igitur tria gravissima argumenta tractata a Cicerone in senatu Nonis Dec., antequam alius dixit: relatio, cohortatio, iudicatio de reis ante alios. Adde quartum: docendos patres fuisse, antequam iudicarent. Quibus mehercule quis est, qui quamvis modico praeditus ingenio, mediocri dicendi facultate instructus, plura ad orationem locupletissimam uberrimamque requirat? quis est, qui haec a Cicerone putet ieiune tractata? Qui si tenui genere relationis ac vulgari usus esset, exhortatione languida ac fatiscente, iudicio hebeti et abiecto: si oratio, qua ante ceteros sententiam tulit de reis coniurationis, gravitate caruisset: nunquam Cato in caelum laudibus ea omnia extulisset, nec perscribenda censuisset in actis publicis, neque eius sententiae senatus, ut arbitror, esset assensus. Sed de his alius postea erit locus quaerendi. Iam memoriae hoc mandetur oportebit, consulem videri initio senatum,

antequam consuleret, de reis docuisse, tum neque ieiune neque paucis, sed pluribus et copiose senatum, ut fortiter iudicaret et constanter, commonefecisse, et quid de coniuratorum facinore sentiret, iudicasse; atque adeo oratiunculam habuisse.

Sed ea, quae hucusque disseruimus, paulum relinquamus. Ac si haec testimonia sola nec amplius quidquam ex illa epistola Ciceronis nobis suppeditarentur; tamen in ea tamquam thesaurum, quo egregie posset disputatio et ornari et locupletari, repertum a nobis esse existimaremus. Tantâ enim, copiâ rerum, quae suppeditantur, tanta facilitas cognoscendi est, ut nulla fere divinatio, nulla sagacis ingenii incredibilis facultas ad uberrimos fructus ex Ciceronis verbis percipiendos requiratur. Diligentia tantum opus est et memoria, qua similitudines conferantur, consecutiones dispiciantur, denique obscuris quibusdam verborum complexionibus lux affundatur clarior, ut, quod inclusum intus occultetur, penitus appareat.

Primum enim non veremur, ne quis cupide conclusum dicat, si existimemus nunquam de Catone Brutum tam turpiter erraturum fuisse, si orationem, eam, quae est quarta in causa Catilinae, fugitivo tantummodo oculo usurpasset. Continuo sane ex ea cognovisset, quemadmodum res essent gestae, neque Cato sed Silanus primus de animadversione sententiam dixisset eique obscure assensus esset Cicero. Quo cognito in veriorem sententiam procul dubio explicavisset historiam. Nobis vero Bruti ignoratio fructuosissima est et omnium utilissima ad stabiliendam eam auctoritatem, quam in instituta quaestione sectamur. Tanta enim fama, qua fuisse consulares orationes accepimus, non est dubitandum, quin Brutus, antequam ad scribendum de coniuratione Ca-

tilinaria se contulerit, summam adhibuerit diligentiam, ne qua esset historia, quae, quum exstaret in illis orationibus [35]), ipsius animadversionem fugeret. Atque non parum multa indicia sunt, quibus declaratur, quam operose et sollerter consuluerit Brutus ea, quae in scribendo usui esse possent. Ita consularium nomina diligentissime perscripsit [36]). De amicitia vero, quae erat Ciceronis et Bruti, quid dicam? Etiam haec satis gravis causa esse videtur, ut nullo pacto consentanee dici possit, a Bruto neglectas esse orationes consulares, etiamsi ei Cicero fractus atque elumbis visus sit. Quid reliqua commemorem, quae et gravibus argumentis et dignis, quae animadvertantur attentius, confirmantur ac muniuntur? Num parvi aestimandum, quod Cicero, qua ratione facile erroris culpa evitari potuerit, non ostendit; orationis, quam de coniuratis post Caesarem habuerit, mentionem non facit; non recordatur, ut solet, ea oratione Brutum sine ulla molestia potuisse in veriorem sententiam adduci; idque ipsum ei, quod orationes, quae versarentur in coniuratione, is, qui de eo, quod Cato in eadem coniuratione vindicanda egerit, in memoriam posterorum scripserit, aut non cognorit aut neglexerit, criminis loco et negligentiae non obiicit? Verum si recte existimare de iis,

35) Ex quibus quam multa disci potuerint, docet epistola Ciceronis, quam ad Atticum misit (2, 1). Curabo, inquit, ut habeas (orationes meas consulares). Et quoniam te cum scripta tum res meae delectant, iisdem ex libris perspicies et quae gesserim et quae dixerim. Sed haec hactenus. Locus vero, quem erroris nomine reprehendit Cicero, eo in libro videtur fuisse, quem M. Brutus de laude Catonis contra Caesaris et Hirtii libros scripsit. vid Suet. Aug. 85 ad Att. 13, 46.

36) Confer epist. cum orat. Phil. 2, 5, 12.

quae memoriae de coniuratione prodita sunt, et elicere non extorquere sententias volemus, admirabilis consensus Ciceronis Brutique in tota coniurationis descriptione, nisi quod hic de Catone et de consularium sententiis deceptus est, invenietur penitus, si modo diligenter, quae uterque tradidit, conferantur. Quae ille commemoravit, ea Cicero et egit et saepe in libris praedicat. Atque apparet, ex orationibus in causa Catilinae habitis ea non potuisse promi, in quibus a Bruto erratum est; quae eiusmodi sunt, ut temporum conditionibus necessario excludantur. Nam de Silani aut de Caesaris sententia in orationibus Catilinariis ne potuit quidem quidquam tradi. Quoniam vero haec postea accuratius exponenda sunt, mentionem eorum fecisse hoc tempore atque hoc loco sufficiat.

Quae autem Brutum Cicero ignorasse scribit (neque enim multa sunt, sed illud tantum de Catonis sententia et de severitate consularium; ceterum Bruti, qui parum digna memoratu laudarit, ea, quae summa laude dignissima consul gesserit, in libro omiserit, prudentia consiliumque reprehenditur) quae igitur Brutum ignorasse scribit, in iis pronum fuit labi memoria, ut in re parva ac fortasse iis litteris, quarum auxilio Brutus ad scribendam historiam utebatur, non accuratius consignata. Etenim saepenumero mihi de epistola illa Ciceronis, qua errorem Bruti notavit, cogitanti atque alia multa, quae cum ea coniungerentur, mecum animo reputanti semper verissima quaeque Brutus videbatur in iis rebus, quae essent maioris momenti, narrare. Praesto ei erant ad utendum Ciceronis libri graece et latine scripti, erat Attici liber de eadem re graece compositus, erat hominum memoria, acta senatus, tum quod

ipse vidisset [37]) audissetque. In exponendis autem aliorum sententiis facilius praecipites agimur erroribusque non minus obnoxii quam oblivioni; facta resque gestae tenacius haerent in memoria. Nonne Plutarchum quoque de sententia Caesaris deprehendimus errore constrictum.

Ad Brutum revertimur, ex cuius ignoratione videndum est, quid iure concludatur. Non veremur, ne quis temere conclusum esse pronunciet, si de oratione, quae hodie Ciceronis nomine fertur, in actis negemus quidquam perscriptum fuisse; si fuisset, Brutus indicium, quo res inusitata significabatur, non ita neglexisset, ut non amplius quaereret et exploraret orationem, nec de Catone tam turpiter errasset, aut consulem cohortatum esse senatores et iudicasse de coniuratis post Silani Caesaris aliorumque orationes memoriae prodidisset. Omnem vero historiam pervertimus, si aliter in actis perscriptas res gestas, aliter oratione, quae eodem tempore habita sit, contineri existimamus. Itaque illa, quae a Cicerone sunt exposita, eodem modo debebant publicis monumentis mandari. Si igitur alia Brutus, atque in oratione sunt, tradit, quid inde consequitur? Aut nihil fuisse in actis aut neglecta a Bruto esse. Ratione caret, ea a scribente, quum posset, non esse in auxilium vocata; et adhibita esse satis, ut supra indicavimus, consularium nomina, quae referuntur, declarant. De his quidem, sententiis publica memoria non servatis (nemo enim dignas quae perscriberentur in actis iudicavit), deceptus est; de Cicerone facile effugit errorem, quia Cato

37) Quo tempore Cicero coniurationem Catilinariam patefecit, pervertitque Brutus annum agebat septimum decimum.

curaverat, ut omnia, quae ille egisset, fecisset, dixisset, accurate perscripta memoria actorum conservarentur.

Adde denique iis, quae exposuimus, ut arbitramur, diligenter et perspicue, aliam rem, quae ad Ciceronem propius pertinet. Qui si de coniuratorum poena sententiam dixisset, eam rem post tot annos nullo adhuc timore nullo periculo invidia exstincta ac sepulta, ubi id ageretur, ut alieni error corrigeretur et nomina perhiberentur omnia eorum, qui censuissent de Catilinae sociis, in epistola ad virum amicissimum missa nomen suum non erat praetermissurus. Quum enim nomina referret eorum, quos sane Atticus ita censuisse non ignoravit, nulla causa esse potuit, cur suum taceret. Immo Atticus amici, si callide tacuisset, mirari consilium debuit, parumque integra mente litteras esse scriptas suspicari. Sed haec ea sunt, in quibus Cicero sui non solet oblivisci.

Operae tamen pretium est, interpretum ostendere conatus, quibus verba Tulliana opinioni, quam animo conceperant, congruentia facere nitebantur. Cui rei satisfecero, si Graevium commemoraro, qui in hunc modum ad verba: cohortatus sum scripsit: „ad animadvertendum, inquit Manutius; non quidem male. Sed tamen significantius est hoc vocabulum significans Ciceronem senatum vacillantem et sententia Caesaris labefactum confirmasse et animasse, ut deposito metu fortes se praeberent in censendo et poena decernenda.“ Haec Graevius. Falso, ut patet; nam neglexit verba antequam consulerem. Nemo enim, qui tantum primoribus labiis artem, quae est disserendi disputandique, gustavit, Ciceronem iudicabit tam confuse turbateque locutum. Deniqne si sunt, qui antequam consu-

lerem ita interpretentur, antequam totum senatum rogarem, iis non est quod respondeam.

Iam redeamus ad propositam quaestionem, cui multa possunt ex aliis libris Ciceronis, quamquam non perinde facilis et expedita est cognitio, conferri. Neque tamen hoc tempore, etsi omnia consentanea videantur atque congruere iis, quae explicavi, ea persequi animus est, nisi prius ostendero, a Cicerone non plus quam unam habitam esse orationem in senatu Nonis Dec. Cuius rei eundem Ciceronem optimum esse testem existimo, eumque arbitror producendum. Recensens enim ille orationes in consulatu habitas ideoque consulares nominatas ad Atticum sic scribit: Fuit autem mihi, inquit, commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur. Quarum una est in senatu Kal. Jan. altera ad populum de lege agraria ——— decima in senatu Nonis Decemb. Hactenus ille. Haec decima est oratio, quam epistola illa, cuius pars supra recitata est, significavit, qua ad senatum retulisse cohortatum iudicasse ante alios se profitetur, non haec, quae hodie in manibus discentium versatur. Comprobat coniecturam oratio, quae est in Pisonem, in qua haec verba scripta sunt (7, 14): Crudelitatis tu senatum consul in concione condemnas? non enim me, qui senatui parui. Nam relatio illa salutaris et diligens fuerat consulis, animadversio et iudicium senatus. Nonne verbis Ciceronis, quae apposui, intelligitur, de oratione ea, quam supra descripsi, esse cogitandum, non de ea, quae hodie in manibus versatur? Quod si quis minus

statuendum putet, iam mihi dici velim, quo pacto ei ista dicenti praetendentique relationem tuto atque impune licuisset de oratione post habita tacere? Tacuisset autem de ipsa oratione ea, quae hodie adhuc durat. Immo relatio diligens et salutaris, si quid sequatur ratiocinari recteque existimare volemus, una relinquebatur inter omnia facta dictaque Ciceronis, quae ei ab iniquis, ut verba illa manifesto indicant, crimini dari potuit. Quo autem animo Piso aliique maligni eo modo, quo factum est, Ciceronem crudelitatis defensione utentem atque ita se iactantem excepissent, si habita esset ab eo oratio ea, quam tempora nobis ex antiquitate conservarunt? Quam lepide faceteque irrisissent lusissentque omniumque contemptui hominem obiecissent, qui, quod culpae vacabat, defendit; omisit, quod ipsi in eo vehementissime criminabantur [38])? Profecto illa defensio, qua saluti reipublicae relatione providisse se obtestabatur, potius ad damnationem valuisset quam absolutionem.

Reliqua, quae in eandem sententiam dicta scriptave proferri ex antiquis litterarum monumentis possunt, non eiusdem quidem generis videntur esse; sunt tamen simillima. Reperto enim orationis Pisonianae loco lux iis quoque affunditur clarior. Etenim cui obscurum erit, si aliam Cicero ora-

38) Neque aliter poterit statui de enunciatione Ciceronis, quae est orationi Philippicae secundae interposita. Loquitur enim in hunc modum (7, 15): Adeone pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in eo templo ausus sis dicere, in quo ego senatum, qui quondam florens orbi terrarum praesidebat, consulebam. Haec hactenus. Intelligitur aedes Concordiae diesque, quae quondam mortem attulit coniuratis. Oratione vero, quae vulgo fertur, habita Cicero ita disputare, nisi cum irrisione M. Antonii, non potuit. Nam non tam consuluit, quam excitavit ad animadvertendum.

tionem, ac supra dictum est, in senatu habuisset, animisque ad lenitatem inclinantibus propensionem ad severitatem animadversionemque iniecisset, id quod effectum oratione, quae exstat, vulgo putant neque poterit de ea aliter iudicari [39]), omnem illam criminis contra inimicorum probra defensionem, qua se senatui paruisse praedicabat, funditus vacillasse et corruisse, plusque, quam profuisset, auctori offecisse? Illud autem non veretur; nec timet irrisionem alienorum, necessario insecuturam, si orationem ille hanc, quae hodie fertur, Ciceronis esse ab eoque in senatu dictam scivissent. Quum igitur nullius rei suasorem se, nullius decreti auctorem, sed dicto tantum audientem fuisse senatui omnibus dictis orationibusque contra inimicorum insectationes obtestatur, parumne perspicue declarat, quid statuere de oratione quarta Catilinaria debeamus? Nonne illa hac in re omnibus Ciceronis enunciationibus effatisque adversatur? nonne talis repericur, qualem non solum ratio, verum etiam memoria illius temporis reprobet ideoque e numero Tullianarum eiiciat? Ac iuvabit exempla contulisse cum orationis Pisonianae loco eo, qui supra a nobis pervestigatus est. Primum in oratione Philippica secunda Cicero se nihil de reis suasisse tradit (8, 18): „Tam autem, inquit, eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares — —. Ita quod proprie meum est, laudasti, quod totum senatus, reprehendisti. Nam comprehensio sontium mea; animadversio senatus fuit.“ Quibus valde consentanea sunt, quae referuntur in oratione, quae est pro Sestio (69, 145): „Quod tantum, ait, est in me scelus, quid tanto opere deliqui illo,

39) Orat. 4, 5, 12. me severum vehementemque praebebo. et: si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur. et antea: in hac causa sum vehementior.

illo die, quum ad vos indicia, litteras, confessiones communis exitii detuli? quum parui vobis?" Nec aliter pro Milone (37, 103): „Quodnam ego concepi tantum scelus aut quod in me tantum facinus admisi, quum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi." Et harum rerum nova fides acquiritur collatis verbis, quae servata sunt ex oratione Metellina. „Vestrum iam hic factum, inquit, deprehenditur, patres conscripti, non meum, ac pulcherrimum quidem factum: verum ut dixi, non meum sed vestrum. Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos iudicastis." Quibus suffragantur paene gemina ac paria, quae sunt in oratione, quae est pro T. Annio Milone (14, 36): „Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat, et mihi videlicet in causa aut mala aut mea, non et praeclarissima et vestra iudicium timendum fuit." Neque inutile iudicamus futurum, addidisse his leviora quaedam sed nequaquam contemnenda [40]). Atque Cicero in oratione (7, 21), qua P. Sullam defendit: „Quod tandem, Torquate, regnum (ferre non potes)? Consulatus, credo, mei; in quo ego imperavi nihil, sed contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui." Quid vero? Nunquam iure se dicto senatui audientem fuisse poterat dicere, si oratio fuisset, qua auctor sumendi de coniuratis supplicii exstitisset, neque gloriari rem publicam a se auctoritate senatus esse servatam (in Pis. 13, 29). Et tamen eodem modo in epistola, quam ad Metellum

40) Orationis Metellinae fragmenta Quintilianus (inst. 9, 3, 40 et 45) disiunctim scripta servavit. Ego comparata oratione, quae est pro Milone, coniungenda censui, quod postea ab aliis factum, ab Orellio, ut videtur, improbatum animadverti. cf. pro Sest. 24, 55. 29, 63.

misit (ad div. 5, 2), de coniuratione scribit eiusque fratrem acerba irrisione hominem gravem nominat et civem egregium, qui qua poena senatus consensu bonorum omnium eos affecerit, qui urbi incendendae atque delendae inierint consilium, eadem iudicet dignum eum, qui curiam caede urbem incendiis Italiam bello liberarit [41]). Sic vero Ciceroni non concessum erat loqui, si habita oratione, quae hodie intra manus litteratorum versatur, fuisset inter auctores sumendi de coniuratis supplicii. Plus enim quum gessisset, quam esset consulis, plus etiam culpae sustinuisset, atque illa defensione, qua uti solet, esset prorsus spoliatus; vel potius in ea ipsa a malignis delusus et contemptui eorum obiectus.

Non incommode iis, quae diximus, tamquam in cumulum Dionis Cassii testimonium, gravissimi auctoris optimeque in plerisque, quae habet de coniuratione Catilinae, cum Cicerone consentientis adiunxerimus. Qui ut alia multa tradit, ita etiam de legibus, quibus Clodius Ciceronem lacessere et vexare solebat, recordatur ea scribens, quae, ut institui, fidissimus interpres latinis verbis expressa iam perscribam. „Ferebat enim, ait, non solum contra Ciceronem Clodius sed contra totum senatum, quod et rempublicam consulibus commisisset et postea Lentulum ceterosque, de quibus eo tempore supplicium sumptum, condemnasset. Nec tamen senatus accusatus ab eo est sed Cicero potius, quod accusavisset et retulisset, et sententias rogavisset, et senatus consultum fecisset, denique morte multandos per

41) Atque oratio secunda in M. Antonium idem comprobat. Dicit enim Cicero, a se de poena coniuratorum senatum esse consultum sed ita dicit, ut qui praeter consuetudinem nihil egerit (7, 15). Quod minime leviter accipiendum, quo magis necesse fuit vera responderi Antonio.

carnifices curavisset, aut solus culpam sustinuit aut maxime 42)." Quid est, quod in hoc Dionis testimonio desideres? quid amplius requiras, quod Cicero egerit? Quid quod Dio prolixa expositione omnia, quae gesta sint a consule, amplexus solius orationis mentionem non fecit? Neque magis orationis indicium in verbis Ciceronis animadverti potest. Profecto hoc grave est testimonium. Dio Cassius enim non is est, qui crimina, quae Romano oratori queant obiici, opportuno loco non meminerit. Pluribus haec persequi taedet. Ex his vero, quae hucusque disseruimus, hoc concluditur, saepe quidem dici de coniuratione a Cicerone et ab aliis scriptoribus; orationis vero quartae Catilinariae non solum reperiri vestigium, sed ne ullam quidem probabilitatem, qua aliquando fuisse eam existimandum sit; contra omnia adversa esse.

Accipe nunc, quae ex temporum rationibus, hominum consuetudine, rerum et legum conditione testimonia ac defensiones causae susceptae conficiantur comparenturque, quaeque coniectura, si memoriam ad praeteriti temporis cogitationem mente excitaveris, probabili assequaris. Quo ea diligentius ex ordine transigantur, res ipsa quodam modo et disputatio, quia multa iam dicta sunt de senatu, nos admo-

42) Dio C. 38, 14. p. 160 ed. Reim. ἔφερε μὲν γὰρ καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν βουλήν, ὅτι τοῖς τε ὑπάτοις τὴν φυλακὴν τῆς πόλεως — προσετετάχει καὶ μετὰ τοῦτο καὶ τοῦ Λεντούλου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τότε θανατωθέντων κατεψήφιστο· οὐ μέντοι ἀλλ' ὁ Κικέρων, ἐπειδὴ καὶ ἐσηγγέλκει περὶ αὐτῶν καὶ ἐσηγεῖτο ἀεὶ καὶ ἐπεψηφίκει καὶ τέλος καὶ τὴν τιμωρίαν σφῶν . . . . . ἐπεποίητο καὶ τὴν αἰτίαν μόνος ἢ καὶ μάλιστα ἔσχηκε. (libri ἔοικε, sed emendavi, ut σ pro ο, η pro ι scriberem, χ adderem. In novissima editione quid legatur, a me ignoratur).

net, ut de senatus habendi ratione ea, quae nobis usui futura sint, breviter exponamus, non quo nova doceamus, sed ut ea, quae nota sint omnibus, ad quaestionem disceptandam conquisita nova commemoratione aliquid testimonii afferant. Utilitas reipublicae rerumque inclinationes et momenta temporum si quid aliquando aliter, quam ex consuetudine agendi, coegerint fieri, id quidem non potest exponi, neque hoc tempore necesse est. Vocato senatu constat publice agi nihil potuisse, nisi consul, quive consulebat, qua de re sententias exquisiturus esset, antea retulisset. Quod ille aut breviter solebat additis verbis quibusdam solemnibus facere, aut oratione uberiore, si vel dicendo valebat, vel fuse disputari e republica iudicabat [43]). Quae ad publicas rationes aut suas pertinere arbitrabatur, ea, si ita ei videbatur, aut dixit, aut, si rectius taceri putabat, tacuit. Deinde nisi tribunus plebis intercederet, secundum dignitatem evocatos senatores ad sententiam dicendam tacitus videtur audiisse, nisi forte aliquis, quod opus esset, ex eo quaereret. Quo facto si ita videbatur [44]), respondit; sin minus, paruit animi sui sententiae, ita ut etiam, quod nolebat, non responderet. Itaque id tantummodo providit, ut insequentem iuberet dicere, bene et salutariter iudicantem, si vellet, laudaret, altercantibus non deesset, errantem in viam reduceret, adversantem senatus deli-

43) Dionysio Halicarnassensi si fides est et Livio et Ciceroni, non dubitandum erit, quin multo frequentius fuse ii, qui consulerent, ad senatum quam nude et breviter retulerint. Livii Dionysiique auctoritas non deerit evolventi illorum libros quavis fere pagina; ex Cicerone satis erit indicasse de orat. 3, 1, 2. de provinc. consular. 16, 39.

44) Cic. de fin. 3, 29, 88. quem ad modum semper in senatu est aliquis, qui interpretem postulet.

berationi in ordinem cogeret [45]); nunquam vero tamquam de integro, quoad res incoeata continuaretur, tam multa, quae modum iustae orationis [46]) explerent, sententiis patrum interposuit. Ita quidem plerumque actum est. Sed tempora nonnunquam inciderunt, ut variae nascerentur causae, cur tamen essent consuli post relationem verba faciendа. Aut enim res subito nova intervenit, aut senatoris relationem egressi sententia valde placuit senatui, ut clamaret, velle se de ea sententias dicere [47]). Quod si evenit, consul denuo retulit permisitque patribus, ut, quid ipsis videretur, explicarent. Ex quo intelligi debet, rogandos iterum fuisse eos, qui ante relationem novam de ea re, de qua primo loco esset relatum, disseruissent [48]).

45) Liv. 3, 41. Plin. epist. 9, 13. Dion. Halic. p. 688, 22. Cic. de orat. 3, 1, 3.

46) Potissimum id in sententiis dicendis redditur manifestum, quibus a senatoribus praemissa verba *quod verba fecit consul* vel alius nomen accepimus. Procul dubio relatio oratione uberi et gravi exornata, non oratio, quae postea intervenit, intelligitur. cf. Phil. 3, 15. 10, 12. 8, 14. in Verr. 4, 64. Orellii inscriptt. Nr. 642. 775. Sert. Ursatus de notis Rom. p. 992. tom. XI Thesaur. Graev. Ulpian. D l. 2 ad Senat. Cons. Vell. (29, 16, tit. 1. l. 2). Non sine fructu lex regia de Vespasiani imperio in Broterii editione Taciti (tom. 5. p. 40) conferetur, quae eadem apud Orellium est p. 567: (Uti Vespasiano) senatum habere, relationem facere remittere, senatus consulta per relationem discessionemque facere liceat. Adde his, quae Plinius ep. 13. libri 9 scripta reliquit, in quibus consul relationem quamquam ab alio factam sibi vindicavit, aliisque dicentibus ille a sententia explicanda abstinuit, providens tantum sedulo, rite ut omnia agerentur.

47) Tacit. XIII, 49. Licere patribus, quoties ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent, expromere, relationemque in ea postulare. Cic. ad Att. 3, 15, 6.

48) Dion. Hal. p. 702, 24.

Multa igitur occurrunt argumenta concludendi id, quod supra posuimus de officio consulis. Vocato senatu referendum fuit explicandumque consilium deliberationis senatoriae; quo facto ad dicendas sententias evocati patres quid censerent, silentio audiendum, nec nisi casus novi quid forte importasset totusve senatus aliud fieri vellet, quidquam de re relata orationibus senatorum adiiciendum. Praeterea non potest dubitari, quin haec ratio senatus vocandi fuerit, ut consilium, quod consulem defecerit, hic a senatu petierit, vel potius, quid senatui placeret, exquisiverit. In illo enim fides referendi ad senatum summa postulabatur non expositio sententiae post alios; patrum vero hoc erat officium, ut sententias dicerent atque adeo summa diligentia consuli exquirenti responderent. Quod et ratione concluditur, et more conficiendi senatus consulti, et denique verbis hac in re usurpatis. Ratione intelligitur, consulem facile potuisse, si inter senatus consultationem verba sententiae loco fecisset, vel potestate consulari, quam ei leges reipublicae concedebant, vel auctoritate, quae erat in dignitate summoque honore, terrorem imperitis ac pavidis iniicere, senatus consultum corrumpere, studium infirmos in suas partes oratione trahentis adiuvare, aegreque si bonus esset, reprehensiones vitare adversariorum. Alia mos conficiendi consulti declarat. Nam commode ne fieri quidem discessio in eius sententiam potuisset. Quomodo enim discedens consul in alteram partem curiae sequi se patres recte iussisset, nomina numerasset discedentium, ordinem retinuisset observassetque, ut omnia rite transigerentur. Quam multae tamquam ansae ad reprehendendum, si interfatus senatum suam sententiam solam pronunciasset aut si non solam,

tamen, quo minus aliae plus valerent, impediisset [49]). Quanto opere consul hac in re ceteris praestitisset, non opus est exponere. Gravissimum adiumentum in eo habuisset, quod ipsi, quoties sibi visum esset, illis semel tantum licuisset dicere [50]). Verbum denique exstat nullum, quod consuli commissam esse dicendae sententiae licentiam declaret. Ille refert consulit, senatus decernit, ille exquirit, hic censet, ille rogat, hic dicit, ille suadet, hic iudicat, statuit, respondet; consulibus summum imperium, senatui summum consilium tribuitur; illi duces sunt non auctores publici consilii iudicati.

Quod reliquum est, memoriae proditum est, conditionem consulum fuisse talem, ut facile a senatu, quamquam sen-

49) Quod ne quis temere cupideque conclusum criminetur, operae pretium puto me facturum occupatis argumentis, quibus adversarius uti possit. Cicero in oratione (4, 9), quam in Pisonem habuit, criminis loco huic obiicit, quod etsi se consulem Romae dicat fuisse, verbo nunquam significarit sententiam crudelissimis in naufragiis civitatis. Quo haec spectent, apparet. Nunquam Piso senatum consulens, quid sibi videretur, planum fecit relatione (cf. de provinc. consul. §. 39). Alius locus est in oratione pro P. Sestio (52, 69). Verba Ciceronis haec sunt: Quum consules provinciarum pactione libertatem omnem perdidissent, qui quum in senatu, privatim, ut de me sententias dicerent, flagitabantur, legem illi se Clodiam timere dicebant. Graevium de sententiis consulum in senatu dictis inter alias cogitantem Ernestius clav. Cic. p. 735 secutus est. Improbavit tamen idem Ernestius Graevii sententiam in explicatione ea, quam orationi, quae est pro Sestio, adiunxit. Sed perinde est, quod illi probarint. Tanta enim in corruptela verborum, quantam codices exhibent, certi nihil poterit pronunciari. (cf. Cluent. 42, 120).

50) Cic. de legib. 3, 18, 40.

sentia non dicta, quod vellent, obtinerent [51]). Quem si sibi non favere suspicabantur, non consuluerunt [52]); vel relatione facta non rogarunt sententias continuo fieri iubentes discessionem in eam sententiam, quam referentes explicaverant; vel adversantem recusantemque edicto proposito ad obedientiam potestate atque opibus consularis imperii compulerunt variisque modis coercuerunt. Tum vocato senatu sententiisque dictis, quaecunque placuit, eam ut pronunciarent, solebant deligere, quae displicuit, tacere. In discessione multum privatim precibus valebant, multum auctoritate, multum admonitione, ut non facile quisquam rogatus, quin faceret rogatum, restitisse videatur.

Neo opus plura conscribi de senatu. De quo qui amplius desiderat, Manutii, Zamoscii aliorum libros evolvat. Jam eo revertamur, ut de Cicerone exquiramus, quid eum probabile sit consentaneumque fecisse Nonis Decembr., quo die de coniuratorum poena senatum consuluerit? Primum vero videtur, nisi me fallunt omnia, de coniuratis retulisse ad senatum, deinde eum admonuisse, ut deposito metu fortem se in censendo poenaque decernenda praeberet, tum iudicasse, quid ipse sentiret, postea Silanum, Murenam, consulares ceterosque rogasse sententias tacitusque, nisi forte paucis alios laudaret alios admoneret, audiisse perorantes et exspectasse, dum fine imposito verbis discessionem, ut voluntas senatus appareret, fieri iuberet et posset sententias eorum, qui discessissent, numerare. Quod si ille ita instituit, quid est, quod offendat? quid, quod non

51) pro Sest., 14, 32. ad div. 10, 12, 3. post. red. in senat. §. 24. Plin. ep. 8, 14.

52) Inter multos, qui possint citari auctores, Asconium Pedianum nominasse (ad Verr. lib. I. 55, 90.) sufficiat.

apprime consulis dignitati, temporum necessitudini, consuetudini senatorii consilii, omnibus veterum litteris ac testimoniis conveniat? Nam quae dubitatio relinquitur, quin haec vulgaris et consueta agendi ratio fuerit? Quod unum modo si concesseris, neque sane non poteris id concedere, concedendum quoque erit, satis multa, quibus tota fama orationis quartae, quae est in Catilinam, totaque auctoritas in discrimen gravissimum adducatur, labefactetur, prosternatur, evertatur, argumento isto uno contineri. Quae satius erit, quo singula intelligantur penitius, non coacervare sed disiunctim pertractare.

Etenim si in senatu eo ordine res, quem descripsi, geri solebant, et ita geri solitas monumenta antiquitatis declarant, quis est, cui non pateat, a consule, qui retulerit, post Silanum et Caesarem exspectari orationem non potuisse? Si quid dixit pluribus, nec opinato dixit. Quae quum ita sint, tu eum, qui orationem quartam in Catilinam contexuit, temporum conditiones mente falso complexum negabis? Cui si fides habeatur, nonne antiquae memoriae consequitur eversio? Nam quum oratio a consule exspectari nulla recte debuerit, tamen „illa praedicam, inquit, quae sunt consulis;“ et paulo post: „Atque haec non ut vos, qui mihi studio paene praecurritis, excitarem, locutus sum: sed ut mea vox, quae debet esse in republica princeps, officio functa consulari videretur;“ denique apud istum declamatorem senatus, quasi ipse nihil habeat sani consilii, anxie unum observat Ciceronem, in eum oculos convertit, salutem ab eo sperat, quid suadeat, scire expetit sequeque libentissime secuturum significat omninoque ore, vultu, voce demonstrat, velle se consulis sententiam audire. Quocirca non erit necesse exemplorum multitudine

declarare, quanto opere aliena haec exspectatio sollicita fuerit et indigna senatus gravitate. Nec quemquam puto futurum, cui verba, a quibus exordium orationis capitur, in posterum possint probari. Quid inscitius enim, quid ineptius quid ab omni fide alienius, quam illis rerum conditionibus, quas exposui, oblatis, ubi nemo iure consulis vocem desideravit, ita coepisse loqui: Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos conversos? Quum potius in eos, qui nondum sententiam dixerant, converti oculi omnium animique debuerint. Neque Cicero unquam eum se iudicavit, quem tamquam tutorem omnes, qui senatui intererant, observarent, aut eo loco venerarentur colerentque, ut suas sententias, nisi a consule approbatas confirmatasque, nullas esse et umbrae instar habendas crederent.

Deinde tota in illa oratione ita disputat, ut qui verba antea fecerit nulla. Ut illam rationem omittam, cohortatum eum esse et iudicasse, priusquam consuleret: relationis tantum faciam mentionem; sine qua neque Silanus neque Caesar sententiam dixissent. Cur dissimulavit priorem relationem? At de nova re, dicat quispiam, retulit consul? Quae est? De ea, de qua antea Silanus et Caesar, postea Cato non egit? Quo testimonio quis de integro relatum affirmet? Quod oratione quarta Catilinaria non nihil sit de relatione nescio qua scriptum? Taedet id refutare atque coarguere. Quocunque animo et cogitatione converteris, aut orationem summi oratoris ingenio indignam confiteberis, aut falsa et corrupta antiquitatis monumenta, ementitas litteras, memoriam adulteratam.

Sed ad aliam me rem refero. Non quidem me praeterit eam parvam videri parvasque res continere et comprehendere, dignam tamen, quae negligatur, non censeo.

ne enim argumentum, etsi leve et nugatorium primo ctu habeatur, utilissimas res ad probandam omni ex e causam conferet viresque assumet, quo id propius Ciceronis verbis conveniat. Quid multa? Non poterit modo dubitari, quin a consule sit id requisitum offi- , ut primus ad senatum rem, de qua agi vellet, accu- referret; postea, si quid adderet, temporibus cederet. ae quum ita sint, probari non potest, Ciceronem, id sibi ionis edendae argumentum, quod obiter tumultuarii era accederet, delegisse; omisisse, in quo consulis of- im fidesque spectaretur [53]). Et mehercule quam praeclare nia constant, si abiecta oratione ea, quam hodie habemus, ia quaeritur temporum invidia absumpta ea, quae epistola ad ticum (2, 1) et oratione Pisoniana (7, 14) aliisque indiciis ificatur. Cognosce enim, quae litteris mandata hodie gnitioni patent. Magnam quidem partem earum rerum upra disputatio persecuta est. Harum igitur, inquam, rumper quaeso repete memoriam. Quid? Ciceronis testi- nio ac fide nonne hoc ipsum accepimus, diligentem fuisse de coniuratis relationem ac salutarem. Salutaris autem

53) Nonne Dionysius hoc ita instituit, nonne eodem o Livius, ut ii, qui ad senatum de re quapiam referrent, o accuratam meditatamque orationem in medium affer- , tum senatu rogato vel nihil dicerent, vel tam pauca, ere nihil dixisse viderentur. Si igitur illi egregii et e divini scriptores, Livius et Dionysius, inprimis dili- em operam semper dederunt, ut vocato senatu splen- dicendi oratio referentis et gravitate rerum quam maxi- enatoriae dignitati satisfaceret, eam vero negotii con- is partem, quae postea accessit, ita tractarunt, ut paene erent, quidni simile consilium probatum a Cicerone mus? Quod si minus secutus sit, satis nobis erit ra- , cur in illa re a totius antiquitatis memoria discre- indicium miremur.

fuit, quod consul ea, quae e republica essent, communi saluti conducerent, tempora flagitarent, comprehendit atque exposuit; diligens, quod, quae consultanda essent, providit et senatum admonuit. Recordare modo, quae memoriae sint prodita, cohortationem, qua senatum excitarit, iudicium que, quo, antequam alius diceret, illum de coniuratis doceret; placuisse haec valde Catoni; haec a Bruto non sine laude memorari; haec dici a Dione; horum memoria occurri, resisti, responderi a Cicerone inimicis, qui eius facta in crimen magni sceleris ausi sint vocare et de eis graviter cum illo expostulare. Num tibi adhuc leve argumentum videtur et inane? Nihilne ista loquuntur? amplius quid requiris? quid exspectas? Quid dubii est, quin potius relatio orationi dederit occasionem. Et quid oratio profuisset talis, qualem hodie habemus? Ambiguitas neque prudentibus neque imperitis neque fortibus neque pavidis satisfecisset; immo timorem auxisset magisque animos in iudicando commovisset. Prudentes enim Cicero non fefellisset, imperitos fecisset incertiores, quod consilium voluntatemque consulis non assecuti ipsi, quid iudicarent, non reperissent. Multis autem verbis nihil dicere, praesertim quum noceas tibi plus quam prosis, idque tua sponte facere, non coactum, summa stultitia est. Ita in ipso argumento oratio, quae in Catilinam est, oppugnatur.

Quamquam in omnibus attente cavisse me existimo, ne quid dissimularem aut cupide agerem, tamen praevideo facile exorturum aliquem, qui pervagatis occupatus praeiudiciis captusque, rationibus meis contemptis, non solum erroris me, verum etiam fraudis faciendae insimulet. Ut enim nemo, inquit, verba consulis exspectaverit, tamen ratione probabili non caret sententia, plerosque de salute eius sollicitos

periculi atque invidiae metu, etsi quod optimum esset sentirent, tamen libere et sine haesitatione eloqui dubitasse, ideoque consulem ipsum maluisse audire. Quod si quis dicat, promta erit ac perfacilis defensio, quamquam nobis excitandae ad veterum rerum cogitationem memoriae necessitas imponitur. Nam qui ita dicit, habet ille quidem aliquid veri, sed non tantum, quantum sibi habere videatur. Cognita enim rerum conditione eo tempore gestarum ac statu fieri non potest, quin nimis inconsiderate hanc rationem concludi intelligat. Fundus istius sententiae ipsa oratio est, quae hodie fertur. Qua non multum, credo, movebitur, qui animum ad ea, quae extrinsecus repetantur aliorum auctorum fide, contulerit. Fama est, Caesaris orationem non modo insolitis laudibus a senatu exceptam esse, verum etiam adeo placuisse, ut maximo studio ii, qui nondum rogati essent, ei assentirentur, alii, quos severitatis poeniteret, interpretando suas sententias lenirent. Suetonio si credimus, Q. Cicero, Plutarcho, amici quoque M. Ciceronis secuti sunt, atque omnes ante Catonem. Neque ulla eorum erat dubitatio, quin, quae leniora viderentur, illi quoque ipsi probarent. Quae quum ita sint, consecutiones videamus. Primum nemo, quid censeret, post Caesaris orationem, sententia paene sine ulla exceptione omnibus placente, de salute consulis sollicitus videtur dubitasse; tum Caesar, non Cicero, vitam gratiam favorem popularem in discrimen obtulit; multumque de huius periculo, si populo carus homo poenae auctor exstitisset, esse detractum omnes intellexerunt. Deinde lenior poena ex iudicio Caesaris, quam qua utendum Silanus censuerat, odia minus excitavit plebis in consulem. Si qui fuerint solliciti de consule, ante quam Caesar dixit, esse debuerunt; omnibus postea lenitatem probantibus opus

[illegible] Si vero [illegible]
invidiam in [illegible]
[illegible] quod [illegible]
[illegible] que ille [illegible]
[illegible] quid, quod [illegible]
[illegible], de coniuratis statuit. Quem [illegible] indagarit, invenerit, ex tenebris [illegible] si, ut defenderet [illegible] reipublicae senatui fuisse [illegible] amici respondissent, ita [illegible] impulsus, ut tibi obsequium, [illegible] exstitisti maximus, senatui [illegible]? Turpius autem vix potest cogitari, quam ita defendere [illegible]? Nonne satius erat confiteri animi errore [illegible]?

Satis quaesitum esto, quin alia nos expendenda est. Orator enim ille duas adhuc sententias enumerat, unam Silani, alteram Caesaris. Neque vero recte, ut mihi persuadeo. Tertia fuit Tiberii Neronis, conferendum de crimine censentis custodia tenendos esse referendumque debellato Catilina. Nec sine laude et approbatione patrum, quamquam viri docti hodie aliter statuunt [56]), illa Neronis sententia videtur accepta esse. Non dubitatur ex eo reddi manifestum, quod in eam Silanus, permotus oratione Caesaris, discessurum se affirmavit. Quo minus sit credibile,

56) Adi explicationes apud Schweighaeuserum ad Appian. III. p. 754.

non fuit. Nam si Caesaris sententia valuisset, nunquam nimiae severitatis aut etiam crudelitatis Ciceronem puto ab inimicis esse accusatum. Denique, qui consuli fauentes eius vitae timebant, nisi impunitos dimitti coniuratos iudicabant, nihil ocius agere ad repulsanda pericula, quam Caesari assentiri, debebant [54]). Quocirca non video, qua quis ratione probaturus sit, haesitatione patrum consulem esse compulsum, ut oratione eos recrearet. Quae sententia non minus scriptorum omniumque testium fidei repugnat, quam a ratione repudiatur. Adde gravissimos viros restitisse, ut omnes rogati essent sententias. Quid? illos non respexit senatus? non M. Porcium Catonem [55])? Cuius sententiam cur consul non exspectavit? Sperabatne ille ambigua oratione posse orationem Caesaris gravissimam et ad auditorum animos commovendos efficacissimam disturbari? Profecto alia vi, gravitate, subtilitate dicendi in tali consilio indiguit.

Caesaris vero sententiam si perniciosam reipublicae iudicavit, satius fuit, eius evertendae uti rationibus legitimis et usitatis. Itaque aut Cato erat rogandus sententiam procul dubio cognitam antea consuli, aut ita facienda discessio

54) Sallustio ulla si fides est, consul magis, quam timeret, aliis erat timendus c. 51: neque prius, inquit, finis iugulandi fuit, quam Sulla omnes suos divitiis implevit. Atque haec ego non in M. Tullio neque his temporibus vereor. —— ubi hoc exemplo per senati decretum consul gladium eduxerit, quis finem statuet aut quis moderabitur?

55) Quantam Cato personam, quam gravem, quam severam sustinuerit, oratione Philippica sec. c. 5, 12. declaratur; maxime vero oratione, quam pro Murena habuit Cicero 28, 58: Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis: qui tamen ita gravis est accusator et vehemens, ut multo magis eius auctoritatem, quam criminationem pertimescam.

sio, ut Silani tantum sententia pronunciaretur. Neque tam dementem censeo fuisse Ciceronem, qui aut sua oratione refutasse Caesarem, aut resistere se Catoni posse existimasset. Quocirca periculosissimam iniit viam, qua sibi periculum, quidquid senatus decrevisset, ab omnibus invidis videbat paratum. Si vero legum et consuetudinis rationem habuisset, invidiam in hac re et reprehensionem defugisset eorum, qui quodque factum magistratuum solent vituperare.

Neque ille ullam habuit defensionem contra iniquos, si tristius quid, quod apparere volunt ex oratione, quae exstat, de coniuratis statuit. Quem ego, quidquid est, quod indagarit, invenerit, ex tenebris eruerit, absurdum putarem, si, ut defenderet damnationem civium nocentium, de salute reipublicae senatui fuisse parendum iactavisset. Tune, inimici respondissent, ita specioso titulo a te crudelitatem propulsas, ut tibi obsequium, animadversionem, cuius tu auctor exstitisti maximus, senatui tribuas? Turpius autem quid potest cogitari, quam ita defendere morum immanitatem? Nonne satius erat confiteri animi errore commissum facinus?

Satis quaesitum esto, quia alia res expendenda est. Orator enim ille duas adhuc sententias exstitisse ait, unam Silani, alteram Caesaris. Neque vero recte, ut mihi persuadeo. Tertia fuit Tiberii Neronis, confessos de crimine censentis custodia tenendos esse referendumque debellato Catilina. Nec sine laude et approbatione patrum, quamquam viri docti hodie aliter statuunt [56]), illa Neronis sententia videtur accepta esse. Non displicuisse ex eo redditur manifestum, quod in eam Silanus, permotus oratione Caesaris, discessurum se affirmavit. Quo minus fit credibile,

56) Adi explicationes apud Schweighaeuserum ad Appian. III. p. 734.

Neronem adeo contemptu habitum esse a Cicerone, ut ne memoratu quidem dignum iudicarit. Is si ullo tempore, profecto illo die ut caveret, ne quem offenderet [57]), operam navavit summa diligentia.

Accipe etiam novam rationem non omnino, credo, spernendam. Ut habuerit orationem Cicero, quam hodie ferunt, cur de ea ne verbum quidem postea? cur non ut relationem commemorat, ita ad eam provocavit? cur ea consuluisse se reipublicae saluti non edocuit? praesertim si habuit nobis traditam, incomprehensibilem et lubricam, quam

57) Rem obscure tradit Sallustius, perspicue Appianus (Bell. Civ. 2, 5. tom. II. p. 181 ed. Schweigh.), qui tam dilucide ante Caesarem non retulisset Neronis sententiam, nisi in libris, ex quibus rivulos suos deduxit, perscriptum reperisset. Ego quidem Appianum semper infidum testem, etiamsi secundum me det testimonium, censebo. Neque vero hoc loco causa est, cur reprehendatur. Nihil enim interest, vera an falsa tradat. Videtur Nero biennio post praetor fuisse; fortasse annis maior Caesare; dignitate non inferior. Si post Caesarem dixit sententiam, non longo intervallo successit. Itaque ante Ciceronis orationem, si hic verba fecit, puto locutum. Eiusdem sententiae auctor citari Constantius Felicius Durantinus potest, si ulla in eo est auctoritas, is, qui de coniuratione Catilinae librum scripsit et ad Leonem X pontificem maximum misit. Plerisque enim Caesaris sententiam in senatu approbantibus aut timentibus, ne in consule non esset satis praesidii ad eius reique publicae salutem retinendam, tum ad ea, quae statuissent, conficienda: Ciceronem ancipiti reipublicae periculo commotum ferunt assurrexisse, gravique usum oratione non solum senatum a Caesare in sententiam Silani traduxisse, sed etiam auctorem exstitisse omnibus, ut universi adnimadversionem in reos decernerent. Procul dubio igitur Nero prior quam Cicero dixit. Sed nihil hoc attinet quaerere, quia tamen vulgaris opinio refutatur. Putant enim post Ciceronem omnes ad animadversionem inclinasse. Quid aliam dixit Nero, si illum sequebatur, sententiam? Si praecessit, cur nulla eius mentio?

vitabundus nullo negotio pro temporum ratione in utramque partem explicasset. Sin eà oratione usus esset, qua Plutarchus usum perhibet [58]), magis mirandum erit, quod non continuo restinxerit invidiam, qua flagrabat, obtestans se invitum senatui dicto audientem fuisse; alia suasisse, alia decreta esse. Quod non solum amicorum studio, verum etiam actis, in quibus Cato perscribenda omnia curaverat, comprobasset. Alia denique est res non inutilis huic quaestioni, ac neutiquam ab ea spernenda, nobisque scribentibus saepe obversata. Nihil enim a Cicerone videbamus in patefacienda coniuratione susceptum et transactum, dictum aut scriptum, laudatum aut reprehensum, quod non esset aliquando vexatum probris inimicorum, ab illo defensum. De oratione prorsus silent convicia. Dixit quidem Silanus quoque de animadversione, dixit Cato, nec ullius sententiam alterutri in crimen videmus imputatum. Non enim me, ut sententia decedam, oratio, quae pro domo ad pontifices inscribitur, commovet. De Silano autem et Catone aliisque cur turbulenti homines se abstinuerint, non huius erit laboris neque loci, quaeri causam. Ciceronem vero, quo plenior copia tamquam obsignatis litteris oratione edita agendi, non impunitum et illacessitum e manibus emisissent. Quid vero adversarii crimini dabant Ciceroni? crudelitatem. Quid suadet orator? crudelitatem in vindicando scelere coniuratorum? Quid defendit Cicero? dicto audientem se fuisse senatui, cui sit uni tribuenda occisio reorum, sibi nihil

58) Plut. vit. Cic. 21. αὐτὸς ἀναστὰς ἐνεχείρησεν εἰς ἑκατέραν τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών· οἵ τε φίλοι πάντες οἰόμενοι, τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην . . ἠροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην.

adscribendum nisi obsequium. Num quisquam Ciceroni crudelitatem oratione commendatam obiecit? nemo. Quid igitur? quod condemnatos continuo indicta ad populum causa curavit necandos [59]). Praevideo quidem non defuturos mihi reprehensores, qui hoc certo sciri negabunt; scire enim pleraque nos Ciceronis relatione, a quo quidvis impune praetermitti affirmabunt. Quod quidem non male nec sine causa obiicitur; tantum vero non valet, quantum putant valere. Namque ut orator ille summus rem celasset posteros, non perinde eam Dio Cassius, quem inique ut Graeculum de Romano interdum sentire arbitrantur, sivisset oblivione obrui [60]). Estne hoc fortuitum silentium? An qui ita silet, clare dilucideque testantis vices sustinet? Nonne id saepius obiectum est, quod retulerit? nonne a Dione commemoratum? nonne a Cicerone contra Pisonem, ut supra vidimus, iactatum; idem illud a Bruto laudatum? Cur nemo orationem [61])?

Quod si fortuitum esset silentium, unumquemque non posset summa miratio non subire. Quis enim nescit,

59) Cognoscuntur testimonia dictorum nostrorum oratione, quae est in Pisonem, c. 6 ad 8 et 15. Plut. vit. Cic. 30. Accuratius Dio Cass. 37, 43 p. 138 memoriae mandavit. Cic. pro Sulla (7, 21): in quo ego imperavi nihil. in Pison. 39, 72. pro domo 19, 50.

60) Inique Dionem de factis consiliisque Ciceronis iudicare quis negabit? quamquam non eo Graeculus iste invidia abreptus est, ut falsa memoriae proderet. Verborum acerbitate perstrinxisse oratorem Romanum satis habuit. vid. Dion. C. lib. 36, 26 et seq. p. 102. 37, 38 p. 136. 38, 9 p. 155 ibique interpr. 39, 63 p. 224. 46, 3 p. 453 totaque Caleni oratione. 43, 43 p. 371.

61) orat. pro dom. 9, 21. quem (Catonem) carnificem. civium, quem indemnatorum necis principem, quem cru-

quanta scriptores veteres diligentia a Cicerone patefactae coniurationis memoriam sint, prouti aut faverent aut inviderent, in utramque partem persecuti, ut fere nulla res gravior et memoratu dignior sit tenebris oblivionis tecta vel obscurata? Ab illis vero, et quo quisque testis incorruptior de virorum doctorum sententia est iudicatus verique studiosior, eo vehementius vulgaris opinio de oratione tam pervagata tamque probata omnibus labefactatur et pervertitur. Itaque praeclaros adiutores causae nostrae testesve non decrevimus repudiandos sed producendos singulos, ut, quid quisque dicat pro testimonio, cognoscatur. Inter omnes singularis fides est Sallustii, quem vulgus nescio qua de causa suppositis orationibus inductus deceptusque graves inimicitias exercuisse cum Cicerone putat ideoque et multa de laudibus tacuisse et retulisse ea, quae cum reprehensione eius essent coniuncta. Cuius fides quum adeo inter omnes praeclare enituit, ei nos primum, quem meretur, locum assignavimus inter reliquos scriptores. Iam igitur nobis eo veniendum est, ut, quod prodat memoriae, nostris verbis ita exponamus, ut et ratio brevitatis habeatur et reliqua instituto nostro conveniant. De coniuratorum igitur poena, de industria Ciceronis, de Silani Caesaris sententiis factisque haec docet. „Coniuratis in custodiam datis dum Vulturcio et Allobrogum legatis comprobato eorum indicio praemia decernuntur, clientes pauci Lentuli et liberti diversis itineribus opifices et servitia ad dominum custodia liberandum sollicitabant, alii duces exquirebant multitudinum, qui vexare rempublicam solebant. Iisdem consiliis sui liberandi Cethegus commotus libertos servosque per nuntios

delitatis auctorem fuisse dixeras etc. Dio Cass. supr. p. 70. de Bruto vid. epist. ad Att. 12, 21.

orabat, ut grege facto ad se irrumperent seque liberarent. Interim vero senatus iudicaverat contra rempublicam fecisse, qui cum Catilina societatem iniissent. Quare consul, ad quem, quae a Lentulo et Cethego agebantur, per speculatores erant allata, rem et tempus monere existimavit, ut de sontium poena constitueretur, convocatoque senatu retulit, quid de iis, qui in custodia essent, fieri placeret. Tum primus D. Silanus rogatus sententiam de his, qui essent in vincula dati, supplicium extemplo sumendum, de ceteris, si deprehensi essent, suasit; deinde Tib. Nero custodia tenendos sontes esse censuit praesidiis additis referendumque de eis Catilina debellato [62]). Caesar vero ubi ad eum ventum erat rogatus sententiam, vincula decrevit et ea sempiterna coniuratis, bona publicanda, ipsos per municipia dividendos multa adiuncta, ne quis de poena levanda ullo tempore aut ad senatum referret aut cum populo ageret. Postquam dicendi finem fecit, aliis alii verbo assentiebantur; at M. Cato rogatus a consule de confessis sicut de manifestis rerum capitalium more maiorum supplicium sumendum censuit. Qui quum assedit, consulares et magna pars senatus sententiam laudant, virtutem praedicant, alii alios increpant timidos; Cato magnus et clarus habetur, ita ut senatus eius sententiam secutus sit.“ Sic fere Sallustius. Habeant sibi, qui de inimicitiis Ciceronis et Sallustii cogitant. Sed non est id. Quanta detrectandi vituperandique Ciceronis opportunitas data erat oratione, si crimina quaerebat Sallustius; at aliud sequebatur consilium, quippe veritatem. Itaque non est dubitandum, quin,

62) Supra dixi non constare apud Sallustium, quo loco Tib. Nero locutus sit, apparere Appiani libris; quibus quae sit fides habenda, alio loco declaratum est.

res uti gesta sit, cui interesse gerendae quamque optime scire poterat, ita memoriae prodiderit; orationem, quae nunquam sit in senatu habita, nominandam non existimarit. Auguror ego aliquando fore, ut falsis a Cicerone discretis Sallustius pluris fiat a viris doctis, quibus ad hunc diem dissensio offensioni fuit, ut, quod detraherent Sallustio, Ciceroni personato adderent. Breviter eandem rem attigit Velleius (2, 34). Catilina, inquit, metu consularis imperii urbe pulsus est; Lentulus consularis et praetor iterum Cethegusque et alii clari nominis auctore senatu consulis iussu necati. Atque ille dies, addit Velleius, Catonis virtutem iam praecellentem et conspicuam egregie illustravit. Is enim ex nobilissima familia ortus, tribunus plebis designatus et admodum adolescens, quum alii in municipiis Lentulum coniuratosque tenendos censerent, paene inter postremos rogatus sententiam, imperterritus aliorum auctoritate, tanta vi animi est invectus in coniurationem, tantoque ardore omnibus, qui lenitatem suaserant, sociati consilii suspicionem coniurationis excitavit, impendentia pericula, incendium urbis commutationemque reipublicae declaravit, denique summis laudibus consulis vigilantiam diligentiamque extulit, ut sine ulla varietate senatus in eius sententiam discedens animadvertendum in eos, qui tenebantur, statueret. Catonem discedentem e curia maior pars senatorii ordinis domum reduxit. Haec Velleius. Suetonius vero haec (Caes. 14). „Praetor creatus, detecta coniuratione Catilinae senatuque universo in socios facinoris ultimam statuente poenam solus municipatim dividendos custodiendosque publicatis bonis censuit. Quin et tantum metum iniecit asperiora suadentibus idemtidem ostentans, quanta eos in posterum a plebe maneret invidia, ut D. Silanum, consulem

designatum, non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire velut gravius, atque ipse sensisset, exceptam: obtinuissetque adeo transductis ad se iam pluribus et in his Cicerone, consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset Catonis oratio. Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quoadusque manus equitum, quae armata praesidii causa circumstabat, immoderatius perseveranti necem comminata est strictis gladiis usque eo, ut sedentem una proximi deseruerint, vix pauci complexu togaque obiecta protexerint. Tunc plane perterritus non modo cessit, sed etiam in reliquum anni tempus curia abstinuit." Flori [63]) narratione nihil proficitur, neque Orosii, qui e Sallustii libris, quem in ceteris procul dubio sequitur, cognosci omnia posse scribit. Apud alios scriptores latinos nihil observavi memoria dignum. Restat igitur, ut Graecorum narrationes breviter referantur. Appianus bello civili haec tradit: Allobroges in itinere intercepti et in senatum reducti, quae de Lentulo sciebant, consuli aperiebant, adduotumque arguebant dixisse saepius, in fatis esse, ut tres Cornelii Romae regnarent, quorum duo ante se exstitisse, Cinnam et Sullam. Quibus compertis Lentulum senatus abdicare se magistratu coegit. Cicero vero, singulis in praetorum domos in custodiam traditis, statim in senatum reversus sententias rogavit. Strepitus erat circa curiam ignorantium, quid gestum esset, et metus conscriorum. Lentuli autem et Cethegi servi et liberti, ascitis opificibus multis, per posticum irrumpere in praetorum domos ad reos liberandos studebant. Quod ubi Cicero cognovit, ex curia discurrit, sed praesidiis dispositis statim redit, ut

63) 4, 1. De supplicio agentibus Caesar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebat.

sententias acceleret. Atque primus D. Silanus, consul designatus, sententiam rogatus supplicium sumendum censuit, assentientibus plerisque ad Tib. Neronem, qui custodiendos coniuratos dixit, dum Catilina debellato cetera exquisitius cognovissent. Postea C. Caesar, nonnihil suspectus communicati cum coniuratis consilii a Cicerone tamen metu populi, cui maxime acceptus erat, non nominatus, municipiis, quae consuli placerent, dividendos statuit, ut debellato Catilina in iudicium adducerentur. Quae quum iusta sententia existimaretur, multi ei assenserunt. Cato vero, iam perspicue detegens suspicionem de Caesare, et Cicero metuens noctem instantem, ne conscii coniurationis, in foro congregati, sibi non minus quam coniuratis timentes, novas res susciperent, postremo persuaserunt, ut tamquam de manifestis rerum capitalium indicta causa supplicium sumeretur. Quibus occisis conscii dissipabantur sibi metuentes et contenti latuisse. Haec levissime, ut opinor, Appianus. Si quis ex his Graeculi verbis coniecturam de Ciceronis oratione capere velit, egregie levi et fluxo fundamento innitatur. Etenim colligitur, aut nullam Ciceronem habuisse orationem, aut post Catonem; atque hoc posterius verum esse non potest. Cassius Dio pauca aliter narrat (p. 134. 37, 35.): Lentulo et coniuratis in custodiam datis, quum servos multos excitari Cicero et libertos cognovisset, partim metu, partim commiseratione Lentuli et ceterorum, quos eripere gestirent, nocturnis praesidiis Capitolium et forum occupavit. Et mane ubi spem sibi a numine bonam ostensam videret, quod domi suae, re sacra a Vestalibus pro republica facta, flammá solito altius se extulisset, praetores ad sacramentum populum adigere, si forte militibus opus foret, iussit. Ipse vero convocatum senatum metu et terrore implevit et

suasit, ut capite in sontes animadverteretur. Diversae autem sententiae sunt dictae in senatu, nec multum abfuit, quin missos facerent coniuratos. Caesar enim, quamquam omnes qui ante eum dixerant supplicium sumendum censuerunt, dissuasit statuens, ut in vincula ducerentur confessi et in urbes dividerentur bonis publicatis, hac addita conditione, ne quis de poena levanda in posterum referret: et si qui aufugisset, ex qua aufugisset urbe, eam hostium loco haberent. Atque ceteri, qui sequebantur, summo studio assentiebantur, ut etiam ex iis, qui antea dixerant, nonnullos sententiae poeniteret suae. Cato vero et ipse morte multandos iudicavit et ceteros ad se traduxit. Quem deinde senatus est secutus animadversumque in maleficos. Et supplicatio decreta et sacrificia, quod in tali re antea nunquam factum erat. Reliqui, de quibus iudicatum erat, quaesiti; et adacti alii, qui suspicione participatae coniurationis laborabant, in iudicium; consules multos fugientes persequebantur. Aulum Fulvium senatorem pater ipse interemit [64]).

Hactenus Dio, haudquaquam contemnendus auctor, dum narrat; exiguae auctoritatis in orationibus. Atque in eo eius narratio praestat, quod una maxime cum Ciceronis indiciis congruit, potissimum cum epistola ad Atticum (12, 21) et oratione Pisoniana (7, 14). Relatione enim Cicero senatum metu implevit et terrore; postea Silanus et Caesar sententias rogati in senatu verba fecerunt. Nam si quis orationem quartam contra Catilinam indicari putet, quia Dio ordinem, quo res gestae sint, non observet, non dubium est, quin oratio ipsa adversetur, quae potius ad sedandam

64) Cum Dione declamatio Sall. in Cic. 5, 5 fere consentit.

trepidationem quam augendam et excitandam est scripta. Pauca quidem pavorem faciunt, plurima tamen tranquillitatem suadent auditoribus.

Plutarchus ter coniurationis Catilinariae mentionem fecit in libris suis. In vita Ciceronis (c. 19) tradit sub vesperam consulem domum suam devenientem, coniuratis in custodiam datis apud praetores liberam plebe prosequente, apud vicinum divertisse, ne sacra, quae virgines Vestales cum Terentia uxore in domo facerent, quibus viro interesse non licebat, conturbaret. Ingressus igitur secum reputavit, quid ageret. Supplicium de reis sumere verebatur, et propter lenitatem animi, et ne nimiam sibi affectasse potestatem videretur, aut invectus tristius esse in viros genere nobiles et potentes amicorum numero. Lenius tamen si remedium praeferret, periculum ac discrimen reformidabat, quia non essent quieturi modica animadversione, sed in audaciam omnes erupturi adiecta recenti ira veteri pravitati. Quod dum animo volutabat, sacrificantibus mulieribus signum accidit; ara enim composita iam flamma ex cinere et combustis corticibus multum splendidumque ignem edidit magna admiratione mulierum. Vestales vero Terentiam statim ad virum discedere cohortarique iusserunt, ut, quae de salute publica constituisset, fortiter exsequeretur, numine salutem gloriamque excitata flama annunciante. Itaque postero die senatu coacto, quum verba de poena et supplicio coniuratorum fierent, primus D. Silanus sententiam rogatus capite plectendos viros pronunciavit assentientibus patribus ad C. Caesarem, qui admodum iuvenis et Ciceroni ob affectandum regnum suspectus, mortem a coniuratis removit, vincula et publicanda bona ipsosque dividendos per municipia in Italia decrevit, ut asservarentur, dum Catilina debella-

retur. Cui Cicero sententiae non exiguum addidit momentum. Ille enim assurgens utramque laudavit, partim priori assensus partim Caesari. Et amici [65]) omnes Ciceroni conducere Caesaris sententiam existimantes (minus enim fore invidiae servatis viris quam occisis) eandem praetulerunt, ut vel Silanus mutata voluntate affirmaret noluisse se viros occidere. Summam poenam viro senatorio carcerem esse. Quibus dictis Catulus Lutatius primum dissuasit, postea Cato vehementer in Caesarem invectus suspicione coniurationis mota senatum iracundia et invidia Caesaris imbuit, ut animadvertendum in viros censeret. De publicatione Caesar restitit, nolens humanitate ex sententia sua summota senatum, quod tristissimum haberet, decernere. Multis contra nitentibus tribunos appellavit. Hi vero non acceperunt provocationem, sed Cicero ipse publicationem bonorum omisit. Quibus verbis quam mirae contineantur halucinationes, non potest fugere rerum peritum, magisque ostenditur, quanti Plutarchi aestimanda sit auctoritas reliquis locis, in quibus de coniuratione tradit, ut in Caesaris vita, ubi nulla orationis Tullianae mentio (c. 7.). Narrat enim in hunc fere modum. „In senatu, inquit, convictis sontibus quum sententias Cicero rogaret, omnes ante Caesarem animadvertendum censuerunt; is vero orationem meditatam prudentemque percurrens indicta causa viros necandos esse negavit, sed in municipia Italica divisos in vinculis usque eo, dum Catilina debellaretur, asservandos. Quibus dictis multi etiam ex iis, qui ante verba in senatu fecerant, assensi, prius quam ad Catonem ventum esset.“ Nec multo aliter idem Plutarchus in Catonis vita (c. 22)

65) Cicero secum ipse pugnaret, si haec suasisset. vid. ad Att. 12, 21.

tradit. „Facta mutatione Caesaris oratione omnibusque ad leniora pronioribus, Cato rogatus sententiam cum ira atque indignatione aggressus Silanum increpuit ob mutatam voluntatem, et vituperavit Caesarem, qui popularitate et lenitate urbem pessumdaret, senatui metum iniiceret, in quo ipsum timere oporteret et lucri facere, si ille, qui tam manifesto hostes omnium eriperet urbemque modo servatam denuo in periculum adduceret, homines facinorosos, quos satius videretur nec esse, nec natos oporteret, defleret, impune aufugisset [66]). Quibus dictis Catonem senatus secutus est.“ In Crassi vita nihil accuratius Plutarchus. Unde vero narrationis diversitas nata? Causa facile, opinor, perspicitur. Quorum vitas non scripsit, eis nihil affingendum ex fama hominum Graeculus, nisi apud alios quoque, qui res gestas memoriae prodiderunt, repertum putavit; in reliquis vero ex hominum fama collegit omnia, quibus vita eius, quem laudandum sibi proposuit, etsi vera non essent, exornaretur.

Consequitur igitur ex testimoniis gravissimorum scriptorum, in primis Ciceronis, Sallustii, Suetonii, Dionis Cassii, a consule, postquam rogare sententias coeperat, non esse habitam orationem saltem non eo loco, quo oportuerit haberi, quae hodie exstet, nec dissentire alios scriptores praeter Plutarchum, cuius fides eo levior, quod ne Appianus quidem ceteroquin imitator et sectator secutus sit.

Iam mihi faciendum erit, ut de iis quoque, quae veteres grammatici de oratione quarta contra Catilinam iudicarint scripserintque, breviter exponam simulque ostendam, quantum ex iis praesidii ad vindicandam orationem Cice-

66) Utri tutius fidas, Sallustio an Plutarcho? Plura scripsi quam opus erat, ut qui legerent Plutarchi virtutes facile possent cognoscere.

roni aut reprobandam et refutandam virium expromi possit. Satis vero mirari non potui, quod opinione rarius a grammaticis commemoratam videbam. Adeone igitur eam negligendam contemnendamque putarunt, ut, qui primam ubique fere in ore haberent, quartae ne mentionem quidem facerent, nedum verba memoria digniora insignirent? Quintilianus, ut ab hoc fiat principium, verbo saepius ceteras orationes nominat, quartam nunquam; tamque obscure et ambigue de iis verbis, quae supra diligentiore expositione digna habui, pronunciat, ut minime de loco, quo exstiterint, aut de tempore, quo dicta sint, hodie certo liceat aliquid statuere. Quin etiam longe proxime veritatem videtur accedere, tres tantum orationes Quintiliano fuisse non quatuor cognitas. Non enim probabile est, eum, qui primam et secundam contra Catilinam dictas nominet eoque vocabulo distinguat ab iis orationibus, quae non sint in Catilinam dictae, tertiam quartamque in eundem Catilinam habitas significasse alio nomine. Primam vero a ceteris ea ratione discernit, ut in senatu habitam dicat, idque ita dicit, ut qui aliam esse in senatu habitam nesciat (Inst. 12, 10, 61). Hic orator, inquit, et defunctos excitabit, ut Appium Caecum, apud hunc et patria ipsa exclamabit aliquandoque Ciceronem in oratione contra Catilinam in senatu alloquetur. Parvi refert, quo in loco patria Ciceronem allocuta sit; quod propterea admonui, ne quis eam in senatu allocutam interpretetur. At vero quarta oratio nonne idemtidem in senatu habita dicitur? Adeone Quintilianus diligentiae immemor suae, ut ea scriberet, quibus certo nihil distingueret? Sic ego semper statui, sic decrevi facere, ut nihil negligentiae obtruderem veteribus, nisi iustissimis causis rationibusque permotus. Quocirca reiiciendam existimo eorum sen-

tentiam, quos reprehensores esse huic disputationis parti futuros praesagio, qui Quintilianum accurate definiisse orationem sint negaturi idque ex mere eius factum defensuri. Cui quidem sententiae haud aegre tamen adstipularer, nisi vererer, ne a Quintiliano verba contra Catilinam sine ulla causa idonea adscripta dicerem. Apparet enim, si diligentiae ille rationem habendam non putavit, omitti potius quam scribi debuisse. Neque magis Asconio Pediano crimen negligentiae immerenti obiiciendum erit, haud aliter discernenti primam orationem a ceteris. Cuius eo pluris facienda auctoritas est, quo magis assentiatur Quintiliano. Haec enim, ait ille (in Pison. II, 3), consuetudo est ipsius Ciceronis: itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu etc. Videntur igitur et Quintilianus et Asconius quartam orationem, quae in Catilinam fertur, aut omnino cognitam non habuisse aut, si habuerunt, pro Ciceroniana non agnovisse. Alioquin distinctam esse ab aliis orationibus censeo. Quod attinet ad Asconium, aliquanto tutius sustentari stabilirique iudicium nostrum poterit, si modo impetramus, ut nobis concedatur, non minorem eius doctrinam fuisse quam diligentiam. Hic vero studio, quo fuit incredibili, constantia, labore veri investigandi, quo est in illustrandis libris Ciceronis versatus, orationes tertiam et quartam contra Catilinam non eo usque potuit contemnere, ut ex eis nihil boni speraret. Immo ille, si quid licebit existimare, Catilinarias orationes procul dubio non minus diligenter perquisivit quam alias plerasque, quo plus ex iis disci posse (ad Att. 2, 1) non ignoraret. Quid ita? Si cognitas habuit orationes, vehementer erit mirandum, quod earum ope se non liberarit errore turpi, quo se interpretans orationem, quae divinatio in Caecilium (22) inscribitur, ultro citro-

que implicavit. Lecta autem inprimis oratione ea, quae quarta est in causa Catilinae, in veriorem mentem non potuit non adduci. Memorat enim P. Lentulum, illum principem, esse eius P. Lentuli, qui iussu Ciceronis necatus est, patrem; orator avum dicit. Hunc, inquam, errorem Asconius a se cognita oratione aspernatus esset; non sustulit, si aut orationem non vidit neque cum iis legit orationibus, quas in corpus redactas consularesque nominatas Cicero edidit, aut non esse eam Ciceronis iudicavit, aut falsa tradi intellexit. Si vera oratio, hoc non existimandum est. Ex quibus facile colligas et Quintilianum et Asconium praeter primam non cognovisse aliam orationem, quae quidem in senatu sit a Cicerone habita; alioquin enim distinxissent.

Multis igitur gravibusque testimoniis confirmatur sententia, quae a nobis explicata est ac defensa de Quintiliano. Quae quidem testimonia si ut ad probabilitatem saltem satis valere ita ad probationem vel, si licet dicere, evidentiam, praesertim quum haec lentius disputentur, infirmiora cuipiam videri possint: non in iis valde erit laborandum; res enim ea est conditione, ut ipsa declamatorem prodat, Quintiliani laudem ab omni macula iniuriaque vindicet. Haec magna illa et divina vis veritatis est, ut, quod fraude obtectum in mendacio versetur, nunquam illius lucem et claritatem sustineat, quin continuo in se ipso deprehendatur atque animadvertatur. Sed quo constantius explicetur sententiae ratio, erit necessarium, verba et Quintiliani et oratoris describere eaque conferre atque inter ipsa comparare. „Et est, inquit Quintilianus, quum ita dixit: neque gravem mortem accidere viro forti posse.“ Haec sufficiunt; orator vero: „nam neque turpis mors forti viro potest accidere.“ Non iam commemorabo exspectandum fuisse, ut

ipsa verba Quintilianus, si ea ex oratione desumpsit, posuerit, quod plerumque ab eo factum est. Alia res gravior est. Quintilianus gravem mortem viro forti, orator turpem negat accidere posse. Illius auctoritas non fuit tanta Orellio aliisque interpretibus, ut quidquam mutarent in oratione. In qua re ego quoque, si quidem ulla est veteribus libris fides habenda, assentiendum iis putavi, apud Quintilianum agnoscens verba Ciceronis, apud oratorem nihil nisi fraudem. Etenim gravis mors accidere viro forti non potest; nam in eo fortis est, quod contemnit mortem neque gravem putat; turpem non posse quis audeat dicere. Quod licet cognoscere, si replicare memoriam temporum placeat, in qua multi reperientur clari celebratique viri, qui, etsi fortiter in vita se gesserint, tamen honesta morte caruerunt. Nonne turpis mors Catilinae, qui contra patriam pugnans occisus est? gravis ei sane non fuit; nonne Antonius, qui profecto nunquam gravem esse mortem iudicavit, inhonesto exitu defunctus est? Neque vero Cicero illo tempore ita de se praedicare potuit, turpem sibi non fore mortem; fore non gravem potuit. Non recusat, quaecunque detur fortuna, eam subire, omnibus se obiicere periculis, aequo paratoque animo, si quid accidat, obire diem suum. Itaque gravis ei mors non erat, quia libens pro patria erat occubiturus; turpis certe non convenit, quoniam de honestate aut turpitudine non quaeritur. Ita elegantior etiam fit sententia. Et turpis mors misera quoque est; gravi autem misera si respondet, ornatior est oratio. Ex quo spero non obscurum fore, quid de Quintiliano sive de Domitio Marso, cuius ille verba ascivit, sit statuendum, quid de oratore. Ille enim ea, quae Cicero aliquando dixisset, memoriae litterarum commendavit habita ratione, ne ulla temeritas

iudicii vel negligentia appareret: oratori res tanta non erat, ut accepta ex hominum memoria verba exploraret diligentius, vimque eorum et potestatem cognosceret, eaque assumeret, quae bene accommodarentur orationi.

Quo intellecto maior, opinor, habebitur fides disputationi, si M. Annaeum Senecam, rhetorem illum, patrem philosophi, cuius supra mentio esset facta si esset commodum visum, vel si mavis Geminum Varium negamus quidquam habuisse de oratione compertum. Ac Seneca his, ut opinor, verbis, in quibus describendis operae pretium me facturum existimo (Suas. 6.). Geminus Varius, inquit, declamavit alteram quoque partem et ait: „Spero me Ciceroni meo persuasurum, ut velit vivere. Quod grandia loquitur et dicit: Mors nec immatura consulari, nec misera sapienti, non movet me; idiotam petit. Ego belle mores hominis novi; faciet, rogabit.“ Verba apposui plura, quam forsitan opus esse videatur: verum ita certius eorum ratio nosci poterit. Profecto si ille ob oculos habuisset orationem illam, quae quarta est in Catilinam, non omisisset ea, in quibus nervi sententiae consistebant. Quid enim solatii, revocari Ciceroni in memoriam, non immature interire consularem, non misere philosophum; immo, si Geminus Varius commovere Ciceronem voluit, persuadere debuit, viro forti esse decorum vivere in republica ab Antonio subacta. Quod ut posset, maxime movere debuit Geminum; reliqua facilius, opinor, processisseut. Quo dicto non opus erat dici consularem neque sapientem. Declamatores autem illi, quorum sententias laudat Seneca, pleraque repetiverunt ex oratione Philippica secunda, ideoque longe credibilius videtur, ea verba, si non fama hominum tradita iis sunt ac demandata, ex eodem fonte esse

hausta, ex quo reliqua scaturiebant [67]). Denique ut aliquando disputatio concludatur, ipsa Ciceronis commemoratio, quam ille posuit in epilogo orationis Philippicae, documento est, non solum oratione emanasse illam sententiam in vulgus, sed esse laude sermonibusque hominum celebratam nobilitatamque. Idque approbant verba Gemini.

Apud grammaticos veteres rara recordatio orationis, rariorque appellatio. Priscianus quidem omnium orationum fecit mentionem; ex quarta etiam verba apposuit [68]). In quo mirum saepe mihi visum est, quod interdum, quae in tertia oratione exstant, ea in quarta, et quae in quarta, in tertia ait inveniri [69]). Sic quidem in veteribus eius libris expressum est, et scripti codices confirmant, quamquam iis, qui hodie eos describendos curarunt, alia placuit ratio. Quid si hoc non memoriae infirmitate accidit? Ceterum ad stabiliendam quartae Catilinariae auctoritatem ac defendendam minime idoneus testis Priscianus, cuius hac in re iudicium vehementer vacillavit nec a veris falsa discrevit [70]). Deinde apud Diomedem ex quarta oratione, quam non nominat, verba excitata hodie leguntur [71]) et apud Charisium [72]) eademque apud Phocam [73]), quorum neu-

67) Alio loco Seneca si scribit (Suas. VII. p. 53 edit. Gron.): „mori enim naturae finis est, non poena" haec videri possunt repetita ex oratione Catilinaria. Sed non est id. Orationi, quae pro Milone est, debetur sententia 37, 101.

68) p. 707 Putsch. I. p. 263 ed. Krehl. orat. 4, c. 6. p. 940. P. I. 546 Kr. or. 4, 1, 2.

69) p. 1020 et 1028 P. I p. 630, 640 Kr. et eadem ex tertia p. 1004 P. p. 614 orat 3, c. 10 p. 1036 P. II. p. 4 Kr.

70) p. 997 P. I. p. 553 Kr. pro domo 17 orat. pro Marc. novies laudatur. 71) p. 467, 9 Putsch. orat. 4, 2, 14.

72) p. 54 Putsch. 73) p. 1697 Putsch. orat. 4, 6, 13.

ter quartae nomen prodit. Ex Charisio ea fortasse Priscianus descripsit, ex hoc Phocas, ut solent Grammatici. Itaque una tantum auctoritas habenda, sed ea non magni faciendа. Lactantio vero nota fuit oratio, si quidem ex ea verba quae citat in libro de ira dei desumpsit [74]); sed ea plane alia fecit, quam sunt in oratione, praesertim postquam emendatorum accessit sedulitas. Denique Ausonius gratias agens ad Gratianum (c. 2.) orationem imitatus est ita, ut non dubitandum sit, quin eam ob oculos habuerit. Certo tamen nihil potest affirmari. Nam quae alio loco (c. 8) idem Ausonius scribit, eiusmodi sunt, ut fortasse orationem a Cicerone consulari habitam imitaretur. „Negat Cicero, inquit, consularis ultra se habere, quod cupiat. Ego autem iam consul et senex adhuc aviditatem meam fatebor.“ Haec Ausonius. Nomen indicat nullum; itaque ex eius imitatione non apparet, Ciceronem an alium expresserit. Ceteri valde incertum est ignorarint orationem an tacuerint. Neque apud Isidorum Hispalensem vidi indicium, qui non admodum raro ceteras laudavit [75]). Neque Servius in commentariis Virgilianis locum, quo novisse se orationem ostendat, mihi suppeditavit legenti, nec feliciore eventu perlustravi Fabii Victorini scripta et commentarios ad Ciceronis libros, qui sunt de inventione. Gellius, Macrobius, Cassiodorus, Marcianus Capella, Rutilius, Donatus, Festus, totaque cohors apud Putschium [76]), Aquila Romanus va-

74) Lact. 1, 17. ap. Ciceron. in Cat. 4, 6, 12.

75) p. 862, 56. 865, 60 et 39. 869, 60. 871, 15. 872, 12 ed. Gothofr. Servius si volebat Ciceronis auctoritate uti, sane fuisset ei commodum in libro quinto Aeneidis (546), si quidem in eadem re Ciceronem testem laudant Diomedes, Charisius, Priscianus.

76) nisi forte verba *tu tanta laude res bellicas auspi-*

cant citationibus, nisi eas orationes, quas constat a Cicerone in causa Catilinae esse habitas, silentio non praeterçant. Et apud Nonium Marcellum nihil reperi vestigii, cui desse occasio citandi, quum ceteras Catilinarias commemoret, tanta sermonis insolentia nullo pacto poterat [77]); neque apud Panegyricos scriptores exstat, nisi forte fugerit animadversionem meam, ulla imitatio. Puta Mamertinum [78]). Praeterea alios libros perlustravi multos; postremo fatigatus inutili labore cum taedio quaerere desii.

Sed quoniam emersisse iam e vadis et scopulos praeterpecta periculosissimos difficillimosque videtur disputatio, unum restat, in quo perfacilis dicendi labor ostenditur. Docendum enim adhuc est, nihil absurdi in ea re neque veritate alieni accidisse, ut oratio sit in Catilinam exercitationis causa composita eaque nomine Ciceronis inscripta et recepta postea in numerum orationum Tullianarum. Habent haec facilem demonstrandi rationem, quoniam tanta copia exemplorum et argumentorum est, ut non opus videatur aliquid poni titubanter et stricte. Quid loquar de declamatorum industria, qui plurimum in causis Catilinariae coniurationis elaboraverunt? Quis eorum nescit conatus eloquendi illuc maxime conversos et ad similitudinem Tullianarum orationum directos? Sed non omnia sunt huius dis-

catus es, ut eam inauditam magnitudinis obsidem teneremus orationis Catilinariae imitatione putas expressa: *habemus a Caesare sententiam tamquam obsidem perpetuae in rempublicam voluntatis.* Panegyr. Const. Aug. 16, 5. 77) vid. verba in orat. frequentare. leno. cognitor. deflagratum imperium.

78) Quae sunt apud hunc in panegyric. Jul. 5, 5, non magis quam supra Nazarii verba ex oratione in Catilinam repetita Credas, potius ex orat. pro Cael. 52.

putationis locique, ut necesse sit ea pertractare oratione. Seneca fere unus sufficit, rhetor ille, apud quem declamatores creberrime recordantur Catilinae. Tum orationes sunt, quarum altera Porcii Latronis nomine inscribitur, alteri nondum nomen inventum est: illa Catilina tamquam apud iudices accusatur: hac respondet criminationibus Ciceronis in senatu [79]): hae orationes, inquam, magno esse documento possunt, non displicuisse argumentum declamatoribus. Quod certius confirmatur Asconii Pediani testimonio: cuius verba, quae in commentario orationis in toga candida scripsit, digna iudico, quae apponantur. Huic orationi, inquit, Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt; quod solum poterant, invecti in novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomine illorum editae non ab ipsis scriptae sed ab Ciceronis obtrectatoribus; quas nescio an satius sit ignorare [80])

Iam apparet evinciturque ope testimoniorum, quae exhibui, temporibus Ciceronis et postea multas fuisse orationes, quae in causa Catilinae versarentur, easdemque orationes, id quod Asconii verba declarant, ita fuisse compositas, ut periti veteratorum fraudes haud aegre detegerent, alii facile fucata quadam specie et efficta similitudine caperentur. Orationum vero, quae nomine M. Ciceronis ederentur, hoc proprium est omnium, ut non solum sint eodem argumento, quo Tullianae, scriptae, sed etiam permulta contineant, quae paucis mutationibus variata ex veris libris Ciceronis desumpta sint. Quod potest et aliis de-

79) Utramque orationem Cortius Sallustio adiunxit suo p. 1079 et 95.

80) E contraria admiratorum schola quatuor vel quinque orationes prodiisse Orellius coniectavit.

monstrari argumentis et potissimum iis orationibus, quas antea nominavi, Porcii Latronis et ignoti rhetoris, intelligi: quibus si ea detrahentur, quae mutuata sint et tralaticia, admodum pauca remanebunt. Quod si cum verbis dictio, cum compositione elegantia, cum sententiis gravitas assumeretur transiretque ex scriptis Ciceronis in declamationes grammaticorum: mirandumne erit, si falsae orationes aliquando pro veris haberentur? Atque non alia causa, nisi similitudo, videtur fuisse, cur ea, quae Cicero nunquam scripsisset, eius orationibus intermiscerentur. Quae quum ita sint, ut sunt, licebitne ei, si verbum forte elegantius ad aures accidat, ideo attribuere quisquilias declamatorum?

Quibus expositis iam in portu navigat disputatio causaque dicta est et perorata; demonstrasse enim diligenter testimoniis veterum scriptorum nobis videmur, non posse Ciceroni orationem attribui habitam Nonis Dec., quo die de coniuratis senatus iudicavit, post relationem initio factam. Quod si hodie fertur oratio, aut est supposita, aut, ut oratio Philippica secunda, temporis et exercitationis causa scripta. Quamquam ne id quidem commode dicitur. Nunquam enim Cicero emanare in vulgus sivisset orationem, quae ne apud mediocriter doctos quidem fidem inveniret. Nihilo minus a nobis renovabitur disputatio quaereturque impensius de virtutibus illius orationis, ut tandem aliquando certo possit decidi, quo ea iure ad Ciceronem referatur.

DE ERRORIBUS HISTORICIS.

Rerum a populo Romano domi militiaeque gestarum totiusque antiquitatis memoriam perspectam cognitamque habere non minori olim laudi datum accepimus, quam hodie, si quis eam cognitionem sit adeptus, praeclaram facinus iudicamus. Quamquam nostrum vetustae memoriae cognoscendae studium in re longe gravissima a veterum diligentia discrepat. Illi enim operam dederunt, ut maiorum suorum vitas, mores, virtutes non solum noscerent, verum etiam colerent et imitarentur; nos eo contendimus, ut Graecorum Romanorumque illustrium nescio quam cognitionem adipiscamur. Illi ex suis omnes, qui laude famaque celebrati magna gloria ac nomine fuerunt, quamquam temporum spatiis a se disiunctissimos, non secus ac si eadem aetate vixissent notos habuerunt. Apud nos quotus quisque est, qui possit cives suos ante pauca saecula gloria reipublicae gerendae domi militiaeque florentes aut viros claros virtutibusque insignes enumerare? Adeo nostra aetas suorum est incuriosa et contemptrix.

Inprimis Cicero traditur miro ardore veterum rerum indagandarum et incredibili inquirendi studio fuisse. Nec quisquam laboris uberiores fructus percepit. Hinc fontes exemplorum optimorum gravissimarumque sententiarum scaturiebant, hinc amplitudo suavitate condita de obsoletis

rebus dicendi parta, hinc gloria inita et laus apud eos, qui maiorum suorum incognitas sibi virtutes laudari non moleste audiverunt. Nemo de iure civili subtilius, de vetusta memoria peritius, de republica gravius dixit. Neque ulla tempora fuerunt tam iniqua nomini Ciceronis, quae exedissent minuissent reliquissent posteris laudes non iis fundamentis exstructas, quae vacillent, vel cum tempore corruant. Non annalium monumentis declarantur, non poetarum carminibus celebratae ab interitu se vindicant, sed, quod firmissimum memoriae monumentum est, prudentium iudicio expensae, probatae, insignitae conservantur. Quo erit subtilior rerum antiquarum pervestigatio penitiusque fides Ciceronis cognoscetur, eo amplioribus celebrabitur laudibus, ita ut, nisi intereant litterae, non sit verendum, ne de iis ulla obmutescat vetustas [81]).

Verum tamen si quis sit talis, quales fortasse multi sunt, qui splendore nominis captus a Cicerone oratore, sicut ab historico, veritatem subtilissimam exigat, nae iste in miris errorum tenebris versetur necesse erit. Historico multa non licet exponere; oratori licet; illi veritas summa laus et una virtus proposita, huic persuasio; ille omni tempore obligat fidem, hic brevi; ille sine studio et ira esse debet; hic studium sociat cum suis et nonnunquam utile est irasci; labi memoria summo crimini illi datur, huic falsis audaciibus subdolis sententiis, si modo veris similes sunt, et omni mendacio callide uti in laudibus reponitur. Orator igitur

81) Non ignoro in Ciceronis libris non paucos errores nimia scribendi festinatione vel etiam negligentia ortos deprehendi. Interdum ipse se errasse profitetur, ut ad Atticum scribit 13, 44. Simile erratum agnovi in oratione, quae est pro L. Murena, 12, 32.

causae serviens eique quavis ratione quae prosint providens summum fructum in eo habet reconditum, ut quamque rem in suum usum commodumque convertat; veritas subtilis et accurata non semper ab eo potest repeti. Vera tradit, si aut veritas causae expedit, aut auditores, quae traduntur, non minus habent cognita. Mendacium a quovis comprehensum animadversumque causae nunquam prodest. Quae autem res varie sunt traditae, aut obsoletae vetustate sunt aut obscurae aut vario hominum iudicio celebratae, ut solent odio et studio ex commodis speratis vel incommodorum metu in varias partes animi plerumque tralu ac moveri, in his rebus eloquentia vires recte periclitatur mutandis, minuendis, augendis; in his plurimi fructus capiendi et gloriosissimae vitoriae proponuntur.

Cicero si, quod oratoris est proprium, conatus est assumere, sibi quod suum erat vindicavit [82]). Quo *ille* iure suo usus est cautissime. Gracchi, quos plerique acerba verborum contumelia solebant insectari, quum essent aliquando laudandi, continuo, cur laudentur, causam tacendam non putavit. Tantam diligentiam adhibendam duxit reveritus, ne tamquam gladio plubeo agens sibi plus quam adversario noceret. Quamobrem, quo res fiat dilucidior, operae pretium me perditurum non censeo, si unam atque alteram sententiam scriptoris, eius, qui orationem quartam in Catilinam composuit, proponam conerque, quoad eius fieri poterit, ostendere, quam multa in illa oratione contra Ciceronis dicta enunciataque perhibeantur. Difficilis quidem labor non suscipitur. Patent pleraque suntque abun-

82) Persequantur haec ii, quibus otium est. Non sine magno fructu orationem, quae pro Cluentio inscribitur, legent. c. 50.

de aliorum scriptorum libris exposita et illustrata. Rationis tantum exiguo admininiculo res indiget; nam ab antiquis declamator rebus se abstinuit; in novis satisque notis versatur. Quippe hae quoque scribenti admodum antiquae, ut non pervagatae essent, videbantur.

Primum C. Caesarem in iudicio de coniuratorum poena negat lege Sempronia (p. 15, 2.), quae de civibus sit constituta et rogata, teneri; qui enim reipublicae hostem se profiteatur, civem haberi non posse. Nec dissimilis in prima oratione, quae est in Catilinam, argumentatio reperitur his comprehensa verbis (11, 27): Marce Tulli (patria enim alloquitur Ciceronem) quid agis? — nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? mosne maiorum? at persaepe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt; an leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? at nunquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt civium iura tenuerunt. Haec Cicero [83]). Loci tamen et verborum alia est conditio; alia persona dicentis. Facile illa extra iudicium a Patria dea consulem alloquente dici potuerunt; eadem Ciceroni suam sustinenti personam in Catilinam in iudicium productum, antequam hostis declaratus esset, non licuisset dicere. Patria, quo minus ea, quae utilia sint vel necessaria, suadeat, non adstringitur ullis vinculis aut impedimentis retinetur; magistratibus vero semper esse hoc debet propositum, ut legibus sanctissime pareatur. Neque Cicero quum ita Patriam facit loquentem, eo se exsolutum obsequio in leges iisdem verbis declaravit; quae si diligentissime perpendantur, plane rem contrariam comprobant. Profecto

83) Non multo secus in oratione tertia Cat. 6, 15.

et aliae leges et imprimis Sempronia, qua sanctum erat, ne iniussu populi Romani de capite civis Romani iudicaretur, consuli, quominus supplicium de Catilina sumeret, fuerunt impedimento.

Consul igitur si devitandae invidiae causa patriam ea, quae ipse non auderet, fecit loquentem, si teneri se lege Sempronia in re graviore et maiore periculo iudicavit: quo tandem iure sublatis periculis vel saltem imminutis Caesar eiusdem legis, ne de invidia loquar, sanctitate liberatum se existimarit? Rectene an secus de coniuratis, qui rempublicam voluerunt evertere, advocare hostes alienigenas, occidere cives, negans in civium numero eos habendos statuisset, nihil ad nos vel ad causam nostram. In iudicio, ubi legibus fuit obtemperandum, de iis, quos lex reos nominabat, non debebat tamquam de hostibus sententiam ferre. Et quis est qui nesciat nemini Romanorum invito civitatem ademptam vel adimi potuisse, nisi ipse auctor exstitisset? Condemnatum, qui in civitate vim legis subire maluerit, quam in exilium ire, non prius esse civitate quam vita spoliatum [84])? Accedit eo, quod non dubitandum est, quin ex legibus Romanis poena fuerint coniurati afficiendi et ea quidem poena, quae civibus esset proposita. Itaque imprudenter orator vim legis interpretatur, cuius beneficio ex ista interpretatione, nisi innocenti, uti licuisset nemini.

Age, falsa sint ea, quae exposuimus, senatumque, quod reos contra rempublicam decreverat fecisse, ideo condemnasse putemus. Qui autem condemnati, non cives nec beneficii legum participes. In eamque sententiam advocemus illud testimonium, quod tuetur Caesar apud Sallustium

84) pro Rabirio perd. 4. pro Caecin. 54, 100. pro domo 29, 77.

(51, 39 Cat.) ita loquens: maiores nostri verberibus animadvertebant in cives, de condemnatis supplicium sumebant. Haec verba, quae Sallustii sunt, quamquam idem damnatis lege Porcia exilium permissum tradit, contra nos pugnent. Quid respondebimus? Primum legem Porciam ego causeam, quominus omni iure exutos condemnatos crederem, inprimis magnam iudicarem, si huiusmodi adiumentis indigerem. Quid alia proferam? Oratio ipsa, de qua disputatio instituta est, satis magnum mihi erit firmamentum, quo a sententia non deterreor. Ex qua spero non fore obscurum, reos nondum fuisse damnatos. Si fuissent, quid voluit senatus constituere? Nonne illo die eam ob causam convenerat, ut de condemnandis reis poenaque decernenda decerneret. Audiamus ipsum oratorem. Quae sunt omnia, inquit, eiusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur. Sic orator nec aliter Sallustius. Si enim illos senatus damnasset, animadvertendum fuit non iudicandum. Accedit eodem, quod de Silano traditur. Qui quum oratione Caesaris permotos multos ad leniorem poenam videret, suamque sententiam crederet acerbiorem et crudeliorem, interpretando acerbitatem dicitur mitigare conatus [85]). Quid? si hostes fuerunt? Iudicavit quidem senatus coniuratos contra rempublicam fecisse. Idcirco vero non sunt hostes declarati, ut ex Milonis, qui Clodium occidit, causa intelligitur [86]). Nec teneri illi, nisi cives, libera custodia in senatorum domibus ullo pacto potuerunt.

Quid vero Q. Metellus Nepos, quid P. Clodius crimînis loco Ciceroni obiecerunt? quod hostes populi Romani necandos curarit? Absurde ita responderetur. Immo quod

85) Sallust. Cat. 50. 86) cf. ad Quint. fratr. 2, 3, 3.

in cives legibus, quae erant de capite civium Romorum rogatae, neglectis iniussu populi indictaque causa vindicarat. Qua de re tam perspicua tamque dilucida si plura disputem, vereor, ne molestus sim aut videar legentium ingeniis diffidere. Itaque pauca addidisse satis habebo. Primum orator levius id, cur habendi cives non viderentur, demonstravit, quam ut cuiquam persuaderet. Inprimis magna diligentia opus fuit, ut res auditoribus, in qua maxima vis ad iuste iudicandum erat reposita, plana fieret et ex omni parte probata. Tum aliud est, quod ut omnium gravissimum duco, ita minime erit negligendum. Caesar enim cur se exsolutum lege Sempronia iudicaret, prorsus nulla cogitari causa potest. Is solus legem in senatu tuebatur, nec desiit, nisi armis deterritus, eam defendere. Hac defensione ille sibi postea viam ad pontificatum et ad consulatum, ut Dio Cassius refert, munitam putavit [87]). Praeterea cum Suetonius invitissimum de consilio traducendorum ad populum reorum destitisse scribit. Qua spe ille senatui sese tam obstinate opposuit? quo iure? qua lege? Quippe voluit a populo, ut legi Semproniae satisfieret, publicam quaestionem decerni. Hinc intelligitur, plus nihil profuisse Caesari, quam si omnes se legibus obstrictos esse putavissent. Non igitur scite, ut apparet, nec vere orator utitur legis Sempromiae excusatione.

Sed quid existimandum erit de homine, qui tam paucis verbis atque adeo versiculo illico novo errore vel macula se contaminat? Continuo alio mendacio prior error, nisi fraudem malueris dicere, cumulatur. Scriptum enim exstat, C. Gracchum latorem legis Sempronine ex eadem lege iussu populi reipublicae poenas dependisse (p. 15). Quod est foe-

87) Dio Cass. p. 155. 57, 57. Suet. 14.

dum vitium eoque flagitiosius, quo notior res omnibus, saepiusque memoriter a Cicerone in senatu repetita. Saepe C. Gracchus sibi eodem leto, quo Tiberius frater interiisset, peremdum publice dixerat. Dictum eventu comprobatum in ora famamque hominum venit. Quid? Tiberius a P. Nasica caesus populi iussu vita privatus est? Orator vero si, quae interpretum sententia est, causae serviens tam falsa prodidisset de obitu C. Gracchi, pessime sibi consuluisset. Mendacium ab omnibus continuo agnitum nunquam expedit, nec causae conducit. Quod Ciceroni qui adscribat, turpi purissimum macula candorem inquinabit. Quo rectius poterit de Ernestio, viro integerrimo, statui. Qui ut turpitudine liberaret Ciceronem suum, maluit sententiam mutatis verbis mutare, quam diutius retinere errorem. Grammatici hoc negligunt. De medio clari nominis virum solent arripere, eique, quidquid balbutiunt, affingere; nec custodiunt, ne palam falsae sint sententiae. Quidquid pro causa videtur, quasi indubitatum effutiunt.

Non sum nescius fuisse multos, qui senatus decreto commissam Opimio consuli rempublicam ideoque C. Gracchum iure occisum dicerent. Quod qui ita defendunt, neque vim legis perspexerunt, neque decretum senatus pro populi iussu haberi non posse animadverterunt [88]).

Diceres declamatorem ignorasse vim et argumentum

88) L. Opimius accusatus apud populum a Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem coniecisset, liberatus est. Livii epit. 61. Senatus auctoritas quam parum ad populum pertinuerit, oratio, quae pro L. Cornelio Balbo est, declarat his verbis. Gaditani a senatu de foedere postulaverunt. Tum est cum Gaditanis foedus vel renovatum vel ictum. De quo foedere populus Romanus sententiam non tulit, qui iniussu suo nullo pacto potest religione obligari (15, 54).

legis Semproniae. Forsitan id recte. Neque vero ego ei sententiae de hominum genere eorum rerum studiosissimo assentiar. Cur igitur a veritate orator tam longe recessit? Quippe lectores ignorare vim legis atque ipsam legem putavit. Ea spe audacter mentitur. Ita insignem nec vulgarem, ut sibi videbatur, dictionis concinnitatem sectatus ea, quae improbaret, orationi tamen adhibuit. Nam quod in eo est situm, ut, qui tulerit legem, ex sua lege poenas daret, pulchrius putavit, quam ut veritati obtemperaretur. Sic eleganter dici et efficaciter declamatores credunt, ipsumque quasi iugulum premi.

Diximus hucusque de lege Sempronia, sed de nomine tantum diximus nulla ratione habita eius, quod lege sanciebatur. Etsi inutilis labor non suscipietur in legis vi explananda, tamen alienum a nostro duximus instituto, quod lucem novam afferre non potuimus, eaque, quae possent explicari, a Manutio, Antonio Augustino, Hotomanno satis illustrata et ornata videbamus. Alia vero res est minime illa contemnenda aut leviter tractanda, quoniam in ea multum a ceteris litterarum monumentis discrepat oratio. Haec enim sola est, qua memoratur lex Sempronia, cuius metu quis potuerit prohiberi, ne de coniuratis diceret. Alii scriptores Porciam recordantur violatam neglectamque. Sallustius quidem gravi de causa instituit, ut in oratione, quam ait Caesarem in senatu percurrisse, legis Porciae reminisceretur; si au em eadem praescriptione fuit lex Sempronia, commodius ad causam et ad instituti sermonis rationem sapientius fecisset, si utramque legem, id quod Cicero fere facere solet, memoria coniunxisset. Atque ut ea relinquam, quae obscuriora videri possunt, certius illa cognoscuntur declamatione ut aiunt Sallustii in Ciceronem, in qua legis

Porciae mentio, nulla Semproniae [89]). Quae res quum omnis illustret sententiam meam, praeterea non casu existimandum est evenisse, ut eadem lex a Cicerone apud Dionem Cassium in oratione contra M. Antonium memoraretur. Sed propius rem aggrediamur. Si enim ulla legis utriusque cognitio animum intravit meum, mihique in re tam incerta et obscura contigit, ut recte vim legum interpretarer: hoc habeo pro certo quod affirmarim: legem Semproniam ne potuisse quidem iure nominari a Sallustio neque in oratione Caesaris neque in declamatione, neque recte fecisse oratorem, qui memorarit, quia vis et sententia illius ea est, ut nulla ratione Caesar teneri potuerit, quo minus quidvis judicaret de coniuratis: denique si Cicero et in oratione in Verrem et pro Rabirio perduellionis reo coniunctim legum auctoritate utitur, causam longe esse alienam a rationibus Caesaris, quum in senatu sententiam rogatus verba faceret [90]). Iam vero hoc satisfacit, quod paulo ante dictum est, a plerisque dici neglectam legem Porciam, ab oratore Semproniam posse negligi.

In superiore commentario, quo de testimoniis historicis egimus (p. 77. 83.), nonnulla attulimus aliena et contraria conditioni orationis. Satis accurate exposuisse rati non ducimus ea repetenda; nunc de reliquis, quae culpanda sint, disserendum erit. Equitum studium orator in com-

89) Quum omnia iudicia, omnes leges in tua libidine erant, quum tu sublata lege Porcia erepta libertate nostrum omnium vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras. 9. 6.

90) vid. in Verr. 5, 63. pro Rabir. 4. Plut. vit. C. Gracch. 4. Manut. de leg. c. 25. p. 1106 Thes. Graev. tom. II. Anton. August. p. 1261 ibid. Hotom. Antiq. II, 16 p. 253. Dio Cass. 45, 32. Hegewisch Gesch. d. gracch. Unruh. p. 147.

muni patria defendenda praedicat praeclarum esse, eosque summam ordinis consiliique ita concedere senatui, ut cum eo de amore patriae certent. Ita enim dixit, nisi quod confidentius dixit. Difficile erit verborum vim illustrare, si quis minus in vulgari explicatione sententiae acquiescendum censeat. Interpretibus si fides habeatur, haec ab oratore memoriae produntur: concedi ab equitibus primum locum inter ordines senatui atque ius de republica deliberandi ac decernendi. Praeclarum sane munus equitum, quo senatus dignitatem [91]), qua nunquam nisi regio oppressus dominatu ac potentia et ne tunc quidem carebat, adipiscerentur. Atque profuissetne equestris in senatum voluntas recusante et obnitente populo? Ac possis tu concedere alteri, quod in tua potestate non sit repositum nec arbitrio commissum tuo? Quid negotii equitibus in senatu? Quorum sane ratio fuit habenda productis in iudicium reis ad causam dicendam; amplius ab eorum fide officium, quod eis fuisset cum senatu commune, exspectari nullum potuit.

Fac veram esse virorum doctorum sententiam: nonne culpandi equites, qui summam ordinis sui, quo desidia ipsi languescerent, laborem fugerent, pericula vitarent, alii ordini metu concessissent? Pari animo Cicero si fuisset, si periculis se subtrahens omnia senatui permisisset, quis dubitaret, quin maiestatis reus agendus fuisset vel etiam proditionis patriae accusandus?

Cur tamen haec profero, quibus ad ineptias illius sen-

91) Quoniam hodie non facile aliquid verum esse putant, nisi cui clari nominis testem apposueris, non deero eorum voluntati atque desiderio. Princeps ordo senatus a Cicerone et aliis locis dicitur et de leg. 5, 12, 28 idemque dominus publici consilii, cuius consilio reliqui ordines rempublicam gubernare debeant. cf. §. 30 eiusdem libri.

tentiae demonstrandas non indigeo? Reliqua igitur considerentur. Recte quidem interpretes vim verborum illorum, quibus eximiam Ernestius elegantiam latini sermonis esse expressam indicavit, ex consuetudine dicendi explicaverunt. Quocirca iam venit in contentionem, quam apte omnia sensui congruant. Antea vero non erit inutile similium locorum, quamquam raro usu ista verborum complexio animadvertitur apud veteres scriptores, exemplum unum vel alterum, quo res fiat dilucidior, paucis adscribi. Primum igitur Livii, egregii auctoris latinitatis, accipe auctoritatem sic scribentis (22, 25): si penes se sit, inquit, summa consilii, propediem facturum, ut sciant homines imperatori haud magni momenti fortunam esse. Exemplum aliud eiusdem locutionis Ciceronis liber, qui secundus est eorum, qui de republica inscribuntur, suppeditat in hunc modum perscriptum (28, 50): Lycurgus γέροντας Lacedaemone appellavit, nimis is quidem paucos XXVIII, quos penes summam consilii voluit esse, quum rex imperii summam teneret. Haec Cicero, sed ita scripsit, ut horum verborum vis facile pateat, non pateat, quae summa consilii equestris in oratione Catilinaria habeatur. Nulla vero explicatio procedit, nulla sententia convenit. Nunc reliqua videamus. Concedamus hoc ipsum, verba non destitui probabili sensu, quamquam id minime concedi potest, adeone res latuit, ut opus esset commemoratione consulis? Et si fuit, cur tam breviter, tam nude, tam leviter in tam magna re, quo nemo doceri aut confirmari aut a metu revocari potuit? Unde tam brevi tempore consensus totius ordinis constitutus? unde Ciceroni cognitus? nam illo die factum esse orator ipse indicat. Quae tandem summa ordinis? equestris an senatorii? An verbis haec vis subiecta est, ut equites eo,

quod decrevisset senatus, se staturos affirmarent? Quod a populo concessum magno emolumento esse senatui potuit. An ut iudicium de coniuratis sibi non vindicarent? Quod magno crimini dandum fuisset equitibus; senatus vero nisi memoria temporum adulterata est falsaque nobis prodita, non videtur necessarium sibi putasse illo de coniuratis iudicio equitum habere rationem? An ut fortiter quidquid esset decretum, ipsi exsequerentur? Intelliges hoc unum probabiliter dici. Quis vero est, qui equitum militiam ordinis summam atque consilii vocarit? Non liberalibitur orator, si hanc habuit mentem, reprehensione, quae ex eo nascitur, quod inusitatis nominibus rem planam et vulgo cognitam ita, ut nemo intelligeret, obscuraverit.

Sed ea in re potissimum fraudes solent cognosci, sicut ego saepe usu expertus sum. Subditicias enim perlustrans orationes notansque atque requirens, quae apte et ad rem apposite et ad ornatum eleganter et ad sententiam efficaciter dicerentur; haud raro vehementer mirabar, quod ad intelligendum multo difficiliores animadvertebam, quam veras genuinasque magnorum oratorum. Sententiarum enim securos veteratores ex raro verborum usu inusitatisque complexionibus vocum videbam ornamenta orationum, lumina dictionis, vim atque efficaciam ad commovendos animos auditorum quaesisse. Itaque evenit, ut quo rarior verborum compositio, modo species elegantiae politioris accederet, eo ornatior videretur grammaticis, aeri bene loqui esset inusitate loqui. Neque aliud quidquam causae fuisse credito, cur ab equitibus summa consilii ordinisque senatui in oratione, quae quarta est in Catilinam, concedi tradatur. Atque ne de elegantia ista grammaticorum, quam desciscimus et aetavimus, quispiam nos dicat calumniatos

esse, exemplo nos tuebimur, quod depromptum est ex oratione, quae post reditum in senatu inscribitur. Qua in oratione declamator his, si recte memini, verbis (c. 14): Qui si mihi, inquit, quaestor imperatori fuisset, in filii loco fuisset; nunc certe erit in parentis, quum fuerit quaestor non imperii sed doloris mei. Quod non minus inepte dictum est et probabili destituitur explicatione.

Neque maiore utique fide digna haberi possunt, quae de coniunctione equitum senatoriique ordinis memoriae produntur. Alio tamen nomine vitio laborant, non quo minus vera sint, sed quia orator nunquam eventurum, quod paulo post necessario fere evenire debuit et re vera evenit, confidenter affirmavit. Nam velle praestare, quod non possis, unusque quisque addubitat, non mediocris inscitiae est. Revertimur ad oratorem, qui ita disputat (10, 22): „Neque ulla, inquit, profecto vis reperietur, quae coniunctionem vestram equitumque Romanorum et tantam conspirationem bonorum omnium perfringere et labefactare possit.“ Minus confidenter eadem dicit alio loco (7, 15). „Equites, ait, ex multorum annorum dissensione ad huius ordinis societatem concordiamque revocatos hodiernus dies vobiscum atque haec causa coniungit: quam coniunctionem si in consulatu confirmatam meo perpetuam in republica tenuerimus, confirmo vobis nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicae partem perventurum.“ Causa vero simultatis non sublata quis esset tam rerum humanarum ignarus, qui, quum reipublicae commodo compulsos ex diuturna dissensione ad concordiam ordines vidisset revocatos [92]), tam incertae rei suasor et impulsor tam temera-

92) Causam offensionis ordinum equestris senatoriique fateor me frustra investigasse. Non enim si nulla est aucto-

rius exstitisset. Varie quidem Cicero a se ornari concordiam equitum senatorumque solere tradidit [93]); sed modestius, opinor, nec in se recipiens, quod ab eo praestari

ritas orationis quartae, quae in Catilinam fertur, cum interpretibus eiusdem orationis staduendum censeo. Lege Aurelia minus equites quam senatus offensus. Huic enim iudicia, quae impetrata Sullae dominatu antea solus exercuerat, erepta et cum equitibus et tribunis aerariis commicata sunt. Plus equites neque postulabant sibi, neque aequum ducebant impetrari, contenti communicatis iudiciis, quibus erant privati. Quin commodior iudicandi conditio lata iis erat quam senatui, qui multis variisque et molestis tenebatur legibus, quibus illi soluti erant (pro Cluent. 52, 144). Quibus commodis haud aegre compensabant incommodum illud, si fuit incommodum, in ea re acceptum, quod numero pauciores uno quam senatores indicabant. Moleste vero tulit senatus, quod lege Aurelia summis se in republica spoliari ornamentis videbat, id quod Cicero docet (pro Cluent. 55, 152) et Asconius (ad divinat. in Caecil. 3, 8), et si minus esset memoriae litterisque mandatum, rationibus eo perveniremus et intelligeremus. Hinc haud dubie discordia nata. Ac postea potior in senatu causa et culpa resuscitatarum simultatum abalienatique ordinis equestris fuit, quem retinere quidem a iurgiis Cicero diu conatus est, nec retinere potuit. Inimicitiarum causas Manutius perscripsit (ad Att. 2, 1). Itaque si primus senatus iniquo animo ordinem equestrem insectatus est, veriora omnino ea videntur, quae ex Asconio de ordinum offensionibus modo docuimus. Neo ideo haec sententia deterior est, quod minus oratio Catilinaria convenit, quae in eum modum est composita, ut equites potius in gratiam senatui reconciliati esse videantur. Facile tamen deterreri a sententia me patiar, si aliae simultatum causae, quam probarunt interpretes, in medium proferantur.

93) Etenim haec erat ὑπόθεσις de gravitate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiae etc. et alio loco: Quid multa? Totum huno locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere, de flamma, de ferro (nosti illas λεπτολογίας) valde graviter pertexuit. ad Att. 1, 14.

non posse omnes viderunt. De errore oratoris paulo post dicam. Bonorum coniunctionem si laudasset unam, quod reprehenderemus, minus inveniretur. Sed quae nunc mens est oratoris, sententiae, quas antea recitavi, inprimis declamatoris arguunt ingenium. Inexercitati et umbratici oratores, quidquid in buccam venerit, si pro causa videatur, impudenter solent edere, praesertim quum sine ullo periculo existimationis aut salutis aut famae inter domesticos parietes dicant sibique tantum velint causam probari.

Praeterea alius rei orator fecit mentionem, quae nos admonet, ut incustoditam negligentiam exagitemus. Coniunxisse illam diem, id est, Nonas Dec. senatui equites refert. Minime hoc verum est. Cur non triduo ante? Quae esset in tam brevi re gravitas, quae dignitas, quae causa, cur tantis laudibus concordiam Cicero postea in caelum efferret? Sed maior et antiquior quam oratori placet, illorum consensus. Iam pridem opem senatui promiserant, laudataque a consule est eorum eximia ac singularis in custodienda urbe defendendoque senatu diligentia ab illo die, quo die primum ex tenebris erumpente coniuratione Catilina consulari territus imperio ab urbe profugit.

Porro nos, qui omnes res, quibus ad causam nostram aliquid conferatur tuendam ac defendendam, ita prosequimur, ut scientes nihil memoratu dignius omittamus, non alienam ab instituto existimamus Pliniani loci animadversionem. Quem quidem locum quasi per transennam praetereuntes supra iam conspeximus, nunc vero, quo accuratius cognoscatur, oculis subiiciendum arbitramur. Plinius igitur de equitum ordine disputans pergit dicere in hunc modum [94]): „M. Cicero domum stabilivit equestre nomen

94) Plin. 33, 8 (2).

in consulatu suo ei senatum concilians, ex eo ne ordine profectam celebrans, et eius vires peculiari popularitate quaerens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in republica factum est coepitque adiici senatui populoque equester ordo.“ Non assentimur de omnibus, quae tradantur a Plinio; quoniam autem ad hanc causam non pertinent, omittenda duximus. Manifesto tamen demonstratur, quae Plinii aetate vulgaris existimatio de familiaritate senatus equitumque et Ciceronis fuerit. Quam quia firmissimam opera Ciceronis crediderunt, pronum erat scribentibus orationes, quas Ciceronis nomine falso inscriberent, vindicari aliquid de isto consensu magnisque oratoris meritis. Atque hoc alibi usu venit grammaticis, ut alienis scriptis, quae non Ciceronis nomine ederentur, idem obtruderent. Plinii enim verba levi affecta vitio adscripsimus ex libris veteribus. Ex melioribus Harduinus pro ei senatum concilians scribendum Catilinanis rebus vidit. Quid dubitandum igitur, quin, quod grammatici in alienis scriptis probarent, id in orationibus, quas totas conficerent, libentissime admiserint? Apparet vero mendum illud Plinianum esse antiquissimum.

Fortasse tamen erit aliquis, qui vere haec disputari neget affirmans insectatam ordinum dissensionem esse testimonio, quo Ciceroni oratio optimo iure vindicetur. Ciceronem non potuisse futura praevidere; declamatorem potuisse, eundemque ea, quae cum rerum factorumque veritate pugnarent, abiecturum fuisse. Mirum sane, quod non abiecit; solent tamen homines interdum oblivisci aut negligere. Cicero vero, etiamsi oratione Nonis Dec. habita de coniuratis agens ea exposuisset, postea recrudescentibus ordinum iurgiis dissensionibusque temeritatem iudicii, indi-

cem stultitiae, edita oratione neque inimicis reprehendendam neque in memoriam posteritatis suo testimonio comprobatam reliquisset. Potuit vero facile, quod non probaret, mutare, et in quo errasset, emendare sine ullo inconstantiae et reprehensionis metu, quod paucis orationes innotuissent aut omnino nemini, quia pleraeque procul dubio nondum essent editae. Eo magis autem puto errores esse a Cicerone, si huius esset oratio, in ea sublatos, quo vehementius eodem tempore, quo orationes consulares in corpus redactas instituit populo Romano edere, paulo ante renovata arderent ordinum dissidia [95]). Itaque causa inprimis magna fuit, curare, ut firmissimae concordiae futurae promissio condimentis lenium verborum mitigaretur aut ea, quae probanda non essent, sine dubitatione delerentur; quemadmodum idem Cicero in oratione Metellina negligenter scripta nonnulla postea delevit, alia adiecit, multa mutavit. Cuius rei eundem video auctorem esse [96]).

Ab equitum collaudatione orator ad servorum amorem studiumque defendendae reipublicae transgressus negat quemquam inventum esse modo tolerabili servitutis conditione habitum, qui non civitatem servari malit quam interire. Non assequor, quae causa fuerit oratori prodendae senten-

95) Duabus de causis equester ordo a senatu disiunctus. Quarum una fuit, quod senatus decrevit, ut de iis, qui pecuniam ob rem iudicandam accepissent, quaereretur; altera, quod publicani petentes, ut locatio, qua, immoderatius liciti, vectigalia redemerant a censoribus, induceretur, resistente Catone diu nihil impetraverunt.

96) Renovata sunt dissidia ante Kalendas Dec. a. 693. (ad Att. 1, 17); ante Kalendas Jan. a. 694 non editae neque in corpus redactae vel potius non lectae ab Attico orationes consulares (ad Att. 2, 1.). Ante Kal. Febr. 693 adiecit Cicero quaedam ad orationem Metellinam (ad Att. 1, 15).

tiae neque a ratione probatae neque ab antiquitatis monumentis commendatae. Libertatem servi vel maxime benigno usi domino semper vita dulciorem habuerunt; et plerique saltem occasione data evadendi multo libentius aufugerunt, quam ut servitutem servirent. Porro constat maximam partem semper fuisse antiquitus ad summa facinora pronissimam. Neque alia servorum ingenia illo tempore Ciceronis fuerunt. Sallustio teste accepimus, initio magnam vim servitiorum confluxisse ad Catilinam, postea ab hoc eo consilio repudiatam, ne civium causam cum fugitivis communicasse videretur. De urbanis quidem servis non aeque certa exstat memoria. Verum tamen ea, quae non expressis signis testimoniisque veterum servata sunt, ex aliis rebus, in quibus implicata continentur, tam manifesto possunt divinari et concludi, ut non minus certa esse videantur. Tanta vis veritatis est, quae ipsa se, si forte oppressa mendacio aliquamdiu cesserit, ex magnis spissisque tenebris effert lumenque ostendit suum clarius. Quid enim causae dicamus fuisse, cur Cicero tanta cura cuperet a senatu decerni, ut supplicium sumeretur de coniuratis? Atque vindicandi celeritas illa nonne consulis metum manifesto indicat, etiamsi minus litteris edoceamur? Nonne inter omnes satis constat veterumque affirmatur testimoniis, curam fuisse eam consulis, ut omnes, quo noctem occasionemque reorum e custodia liberandorum praeriperet, dimisso senatu statim poena afficerentur [97])? Mitto vero haec; nec si quis callide tacuisse affirmet oratorem, reprehendam dissimulantem; quamquam, qua ille spe tam certa de servis die uno tantum ad eorum animos sollicitandos coniuratis consulique ad explorandos dato praedicet, non video. Haec igitur, inquam,

97) vid. Non. voc. event.

non reprehendam, si modo ille suo se gladio non ipse iugulasset. Nam eosdem servos, quos nihil ait contra rempublicam ausuros, aliis locis, ubi intererat, senatui metum ac pericula atrocissima ostendi, inter instrumenta terroris enumerat [98]).

Nec veriora sunt, quae de opificibus, id est, de iis, qui in tabernis sunt, exponuntur. Assentiremur tamen, nisi causa, qua illi ad quietem revocarentur, ab oratore esset prodita. Operis et sellae amore ait rerum novandarum studio prohiberi nec curare coniuratorum scelus aut detestari. Falso; semper in civitatibus ii, quibus opes nullae quietis rebus sint, turbatis sperant, bonis invident, malos sequuntur, nova expetunt, vetera oderunt, odio suorum tenentur, aliena appetunt, mutari rerum conditiones cupiunt, turbis ac seditionibus aluntur. Horum cupiditatem amor quotidiani operis quaestusque studium non potuisset a coniuratione avocare; facile avocarent munera ac largitiones. Et memoriae proditum est, non repudiasse senatum eius generis adiumenta [99]). Largitionibus igitur haud dubie delinita multitudo mentibus mutatis suarumque rerum commiseratione mota, Catilinam exsecrata est, Ciceronem in caelum extulit, veluti erepta ex servitute gaudia agitavit, crudele rata patriae incendium et sibi calamitosum. Quippe spe rapinarum sublata illos suarum possessionum retinendarum cupido subiit. Quae quum ita sint, non opus erit pluribus persequi rationibus, quam falsa proferantur in oratione et quam repugnent iis, quae senatus iisdem diebus et viderat et decreverat. Oratori vero, qui iterato admonet, ut ante noctem sit in coniuratos vindicandum, quae fides est de periculis sublatis loquenti? Nonne in hac re ipse sibi

98) orat. in Cat. IV. §. 4 et 15. 99) vid. Plutarch. praecepta gerendae reip. c. 24. vita Cat. Min. c. 26.

repugnavit? Nonne contra ea, quae aliis locis ipse voluit obtinere, testimonium dixit?

Cogitanti mihi saepe de similitudine orationum suppositarum, et de consecutionibus, quae ex ea nascerentur, non minimum momentum visum est eo contineri, quod non solum equites, servi, libertini, tribuni aerarii laudantur, verum potissimum scribae. Neque horum laus abest ab oratione quarta Catilinaria. Ad aerarium forte illo die, quo die est de coniuratis iudicatum, frequentes personatus Cicero convenisse memorat (p. 22); audito vero periculo, quod senatui immineret, ab expectatione sortis subito ad curiam auxilii pollicendi causa accurisse [100]). Eandem rem vetus scholiasta commemorandam putavit sic scribens: „Convenerunt ad aerarium scribae, ut sortirentur officia, qui scriba esset consulis, qui tribuni plebis. Viderunt coniuratos adduci ad senatum; dimiserunt sortem et omnes promiserunt praesidium; ad aerarium, quia in aerarium solebant sortiri.“ Quoniam magna est Scholiastae auctoritas apud viros doctos, eo diligentius frangendam fidem et eliciendam impudenter mentientis censeo. Poterit vero, ut alii multi, sic his locus testimonio esse, quanti Scholiasta sit iure faciendus. „Viderunt, inquit, coniuratos ad senatum adduci;“ at in senatorum domibus libera tenebantur custodia; dimisso senatu in carcerem adducti poenas scelerum dederunt. Gaius sententiae omnes scriptores sunt auctores. Postea Scholiasta ad aerarium congregatos scribas ad cellam Concordiae accurisse refert auxilium pollicituros. Aerarium vero aedi Concordiae non solum vicinum fuit [101]), sed proximum,

100) §. 28 ibique Schol. 101) Quod et veteres testantur et recentes scriptores indagatis templorum vestigiis comprobaverunt. Inter illos Servius nominandus est, qui ita

ideoque non satis cognosci scribarum studium voluntasque erga senatum, si numerosus esset ordo, ut erat, discessu a domo ad domum potuit. Fortasse non minus commode ad aedem Concordiae sortis fortunam exspectassent. Denique sortiti scribae munera, quis consuli, quis tribuno plebis appareat, a Scholiasta perhibentur. Apud quos sortiti sunt? Consules qui erant et qui designati erant, praetores, magistratus reliqui aut in senatu aderant, aut alia munia illo tempore obibant, ut iis nulla esset scribarum cura. Ita ne quaestores quidem adesse eis poterant iussi a senatu praeesse excubiis, quae in urbe erant a consule dispositae. Neque aedis sine interventu magistratuum provincias obvenisse credibile videtur. Sed finem quaerendi.

Atqui illa scribarum sortitio tam temere a multis credita et fuse libris exposita tota male otiosorum grammaticorum figmentis conflata est et nugae sunt et ineptiae. Verbis illi ducti, quod ipsi ignorabant, alios docuerunt tanta confidentia, tanta securitate, ut nihil magis quam os istorum hominum mireris. Res tamen satis magna est et naturali colligatione cum causa, quam defendimus, contexta, ut iure non praetermittatur. Neque inexplicata derelinquetur, si modo, quum longiore nobis utendum sit disputatione, ab iis, qui legent, excusatio utilitatis impetrabitur.

scribit: „ossa Orestis ab Aricia Romam translata posita sunt ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum iuxta Concordiae templum (ad Aeneid. II, 116.). Lucanus (l. 5, 145.). Varro (L. L. 4, 7.). Dion. Hal. (p. 341, 37 et 775, 2. edit. Sylb.). Plutarch. (in Cam. p. 151. F.). Ex recentioribus scriptoribus digni sunt, qui non negligantur Al. Donatus de urbe Roma 2, 14. Ol. Borrich. antiquae urbis R. facie c. 10. Nardinus Rom. vet. 5, c 1. p. 1131 thesauri Graev. tom. IV. Corte ad Sall. Cat. 46.

Eodem pacto, quo vetus orationis interpres, alius quoque homo, gemellus ei plane et germanus, enarrator Ambrosianus orationis, quae est in Clodium et Curionem habita, peccavit [102]). Apud aerarium, ait, sortiri provincias et quaestores solebant et scribae, ut pro certo appareret, in quam provinciam aut cum quo praeside proficiscerentur. Praeclare ita grammaticus, qui si diligentius Ciceronis verba attendisset, in veriorem haud dubie venisset sententiam. Sensus enim adeo patet, ut de eo nulla relinquatur dubitatio. Tanto prius, inquit Cicero, Clodius ad aerarium venit, ut ibi ne scribam quidem offenderet. Quibus lectis versuto doctoque grammatico, ne forte ignorare aliquid videretur, continuo in promptu erat doctior explicatio. Verum tamen grammaticorum figmenta non sunt idonea, ex quibus diiudicari vera et falsa possint. Itaque quaestionem de scribis aggressi eos potissimum sequemur scriptores, quos perinde ad unum omnes hodie veracissimos probatissimosque auctores existimant. Hi quid tradant, ordine ac via iam exponemus.

Nam quaecunque sortitio facta est, aut eorum fuit, qui, quum non essent scribae, eum ordinem cuperent obtinere, aut quum essent, sorte ad munera eligerentur. De priore genere sortitionis grammatici non cogitarunt; de posteriore dicam, si testimonia, quae ne alterum genus quidem sortitionis, ne eo forte quis refugiat, in scribis admittant, ante subiecero. Ad hoc genus Suetonii verba, quae exstant in vita Horatii, pertinent in hanc fere sententiam perscripta: Bello Philippensi, inquit, excitus (Horatius) a Marco Bruto imperatore tribunus militum meruit, victisque partibus, venia impetrata, scriptum quaestorium comparavit. Satis constat, non sorte obtigisse, quae sint

102) orat. in Clod. et Cur. p. 25 edit. Beieri.

comparata. Praeterea quaestioni satisfacit exemplum Ciceronis, qui in provincia M. Tullium, libertum suum, scribam habuit haud dubie non sortis beneficio acceptum sed voluntute sibi delectum [103]). Quo intellecto verba Taciti rectius possunt intelligi. Quippe, inquit, late fusum hoc corpus. Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas (13, 27, 2). Iam nemo dubitavit, quin decuriarum nomine scribae a Tacito dicerentur; mihi vero non solum scribae videntur significari sed accensi etiam et lictores. Horum nulli munus sorte delatum est, ut Cicero scribit ad Quintum fratrem (1, 1, 5): accensus sit eo loco, quo eum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco sed in laboris ac muneris non temere nisi libertis suis [104]) deferebant, quibus illi quidem non multo secus ac suis servis imperabant. Haec ille. Nec lictor nisi lectione quisquam factus est, id quod ex tabula quadam vetusta, quam Sigonius descripsit, potest intelligi [105]). Si igitur hi, qui in decurias divisi apparebant magistratibus, lectione non sorte adepti munus reipublicae serviebant, non possunt scribae, quorum officium saepe ab illis non distinguitur, alia fuisse conditione existimari. Itaque non temere verbum conscriptas a Tacito videtur additum, quod non magis ad cohortes urbanas quam ad reliqua pertinet. Si quis vero est, qui testimoniis minus fidem tribuendam censeat, quia Tacitus non perspicue et seorsum de scribarum conditione testimonium dicat: is perpensis M. Cornelii Frontonis locis desinet opinor de veritate sententiae dubitare [106]). Is quum alia

103) ad Att. 5, 4. 8, 13. ad Div. 5, 20. 104) Eandem rem idem Cicero in Verr. 2, 2, 28, 69. 105) vid. Graevii thesaur. I. p. 173. 106) epistol. pro Volumn. p. 220 edit. Nieb.

multa prodidit memoriae, tum imprimis haec de scribis docuit: Estne, inquit, lege cautum, ne quis scribam faxit, nisi eum, quem decurionem quoque facere possit? Et paulo post: fuerintne omnes et sunt ad hoc locorum, quibus unquam scriptus publicus Concordiae latus est, decuriones? Et eodem loco: factusne est Volumnius decreto ordinis scriba et decurio (cf. Imp. Phil. Cod. 7 tit. 62 leg. 4.).

Non commemorabo necesse fuisse, ut scribae, qui ordinem obtinebant, magistratus cuiusdam scribae essent et apparerent alicui, nec prius nanciscerentur ulli ordinem quam munera. Neque id pertinaciter tenebo, scribas, quum a variis legerentur magistratibus, non esse aliis potius quam sibi lectos. Quae ideo non tenebo, quia obstinate defendi possunt. Alia nobis firmioraque munimenta ac praesidia veteres scriptores suppeditant. Iam igitur nobis faciendum erit, ut de altero genere sortitionis, quod grammatici, quos commemoravi, videntur cogitasse, exponamus, id est, ut doceamus, scribas lectione magistratuum receptos in ordinem eadem ratione obtinuisse munera. Perspicue id Suetonii locus, quem supra perscripsimus, declarat. Quippe Horatius quaestorium scriptum comparavit. Sic enim loquitur Suetonius. Verborum vis haec est: non solum in ordinem scribarum receptus est Horatius, verum etiam, quum scriptum comparasset, quaestori apparebat. Quibus consentanea maxime videntur, quae exstant apud Livium (40, 29): Q. Petilius praetor urbanus studiosus legendi eos libros a L. Petilio sumpsit et erat familiaris usus, quod scribam eum quaestor in decuriam legerat; id est: scribendi negotium ei demandarat et quaestoriam decuriam. Assentitur his Cicero in oratione, quae est pro Cluentio (45, 126): Nuper, inquit, hominem tenuem, scribam aedilicium, D. Matrinium, quum defendissem apud M. Iunium

Q. Publicium praetores et M. Plaetorium C. Flaminium aediles curules: persuasi, ut scribam iurati legerent eum, quem iidem isti censores aerarium reliquissent. Denique maximi momenti sunt, quae in tertio libro orationum, quae sunt in Verrem, perhibentur (3, 79, 184): ad eos, ait, me scribas (i. e. honestos bonosque viros) revoca, si placet; noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis ac de scenicorum corollariis, quum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum or linem civitatis se venisse dicunt. Eos scribas disceptatores huius criminis habebo, qui istos scribas moleste ferunt. Tametsi quum in eo ordine videamus esse multos non idoneos, qui ordo industriae propositus est et dignitati: mirabimur turpes in eo esse, quo cuivis licet pretio pervenire. Haec Cicero. Verborum sententia patet. Pretio impetrari a magistratibus poterat, ut scribendi negotium obtineretur; nam primum illi decuria empta in scribarum ordinem, postea in equitum venerunt. Nec supervacaneum erit, ea quoque, quae interpres Iuvenalis memoriae mandavit, paucis perscripta addi; ex quibus cognoscitur, quam vere supra sit a nobis de scribarum sortitione disputatum. Iuvenalis enim quum scripsisset (Satyr. 5, 3): si potes illa pati quae nec Sarmentus iniquas Caesaris ad mensas nec vilis Galba tulisset, quamvis iurato metuam tibi credere testi; quae quum scripsisset Iuvenalis, Scholiasta haec (5, 3): Sarmentus natione Tuscus e domo M. Favonii, incertum libertus an servus, eo fiduciae venit, ut pro equite Romano ageret: decuriam quoque quaestoriam compararet. Quare per ludos, quibus primum XIV ordinibus sedit, haec a populo in eum dicta sunt:

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.

Digna dignis; sic Sermentus habeat crassas compedes. Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget. Videlicet Sarmentus scripti honestius genus quam populo placuit emptione invasit. Nec raro equites scribendi negotio vacasse accepimus aut scribas in equestrem ordinem aureo annulo donatos pervenisse [107]).

Ex his spero perspicuum fore, de sortitione non esse cogitandum. Quia vero decuriarum mentionem saepius feci neque obscure ex iis varia fuisse scribis munera attributa significavi: non erit inutile, quo res ex omni parte dilucidius perspiciatur, ea quoque paulo accuratius tractare. Hoc quidem omnium scriptorum auctoritate comprobatur in decurias esse scribas divisos; qua de causa nemo tradit. An quod numero pollebant? at ex ea re divisio necessario non consequitur; neque id veteres scriptores approbant. Praeterea non causa apparet, cur honestiorem decuriam emerent. Non infructuosum est in hac parte disputationis videre, quid consuetudo loquatur. Itaque magna cum utilitate conferentur decuriae iudicum. Quorum tres invenio in antiquis libris Ciceronis aetate fuisse ex senatoribus, equitibus, tribunis aerariis conscriptas. Quod si illae secun-

107) Non possum a me impetrare, ut de loco taceam, qui est in epistolis Plinii, quique videtur doctrinam a me probatam evertere. Scribit autem Plinius haec (4, 12): Quum in provinciam quaestor exisset, scribamque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amisisset, quod acceperat scribae daturus, intellexit et statuit subsidere apud se non oportere. Ad quae verba Catanaeus quaestores solitos tradit sortiri scribas sicut proconsules provincias et legatos. Quam vera sententia sit, ipse viderit. Verba autem mire corrupta sunt librariorum incuria, ut ex illa epistola nihil statui possit. Neque tamen poenitebit legisse, quae Cortius ad illa perscripsit. Locus vero utcunque corrigatur, non repugnat ei sententiae, quam tuemur.

dum ordines iudicum constitutae sunt, quidni simile consilium in scribis statuamus quaesitum. Ordo omnium idem; iudicum diversus; horum negotia omnium eadem; illorum varia, quia aliis alii apparebant. Non videtur dubitandum esse, quin decuria ea fuerit, quae negotia et munera scribis assignarit. Coniecturae multa testimonia satisfaciunt. Primo loco commemorabimus lapidis inscriptionem apud Gruterum. In qua etsi lictores nominentur, tamen horum eadem quae scribarum erat conditio [108]) (de vet. iure pont. 11, 14.). L. ANTONIO EPITYNCHANO LICTORI DECURIAE CURIATIAE QUAE SACRIS PUBLICIS APPARET. Praeterea interpres Iuvenalis assentitur. Is Sarmentum tradit decuriam quaestoriam comparasse. Tum alia, quae supra de scribis diximus, ea omnia eo spectant, ut, prouti variis magistratibus praesto essent, variae fuerint decuriae. Denique scribae in lapidum inscriptionibus, in quibus non raro eorum fit mentio, aut ex magistratuum dignitate, quibus apparebant, praetorii, aedilicii, quaestorii nominantur, aut decuriae additur numerus, quo dignitas cognoscatur [109]).

Nec inutilis quaestioni, quam instituimus, nec infructuosa haec est cognitio. Atque ne ullum quidem vestigium est, quo decuriae sortitio indicetur. Quam si distributione nanciscerentur scribae non sorte: perspicuum est, falsa tradi a Scholiastis Tullianis; nam apparet divisos esse in decurias, non eo sorte venisse. Itaque etiam verbo grammaticorum doctrina refellitur et eiicitur. Quorum ut tota denique fides elevetur penitus, non praetermittemus, quo minus investigemus causam, cur non solum in libris verum etiam in saxorum titulis constanter scribae aedilicii, quae-

108) cf. Cic. pro Cluent. 55, 147. in Verr. 5, 66, 154.
109) vid. Graevii thesaur. I p. 173.

storii, praetorii dicantur. Fortuito id contigisse non existimandum est; nec sane illi in tam breve anni spatium adepti munera, ex iisdem muneribus tam firmiter tenere nomina potuissent. Quamobrem si mihi dicendum est, quod sentiam, licebitque in quaestione tam obscura aliquid existimare, ea re putabo id contigisse, quod non in breve tempus scribendo dederunt operam, sed fortasse per maximam vitae partem ea tamen conditione, ut ponere tabulam et desinere scriptum facere non vetarentur. Utrumque Cn. Flavii exemplo proditur. Qui quum comitiis aediliciis fieri se pro tribu aedilem videret neque nomen suum accipi, quod scriptum faceret, tabulam dicitur posuisse atque inrasse scriptum se non facturum [110]). Ex quibus ut satis aperte concluditur, non fuisse sortem exspectandam, ut quis scriptum faceret, ita id ipsum enucleatius interpres satyrarum Iuvenalis vetus ille tradit. Qui quum alia multa de Sarmento memorat, tum haec subiunxit: Iam autem senex — — coactus auctionare, quum interrogaretur, cur scriptum quoque censorium venderet, non infacete: bonae se memoriae esse perdita [111]). Adde his Plutarchum, si fides est homini. Is quaestores narrat, qui plerumque inexercitati ad rempublicam capessendam accederent, adolescentulos et primo munere publico functos in potestate scribarum usu diuturno aerarii exercitatorum expertorumque rerum gerendarum potius fuisse, quam ut ipsi scribas sua potestate continerent (Cat. min. c. 16.).

110) Livii verba sunt (9, 46): Invenio in quibusdam annalibus, quum appareret aedilibus (Flavius) — — tabulam posuisse et inrasse scriptum se non facturum. Quem aliquanto antea desisse sciptum facere arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto etc. Apparet non de brevi anni spatio esse cogitandum, quo Flavius scriptum fecerit. 111) Sat. 5, 3.

Atque quis est, cui probetur, in tam humili hominum genere Romanos tanta se religione obstrictos putasse, ut munera, nisi sorte, eis non attribuerent; multo graviora negotia magistratus maiores, cui vellent, suo iure mandarent? Aequandosne scribas summis honoribus censuerunt? Quorum ordo etsi honestus, tamen exploratus [112]), verissimeque descriptus a Cornelio Nepote, cuius haec verba exstant initio vitae Eumenis: Habuit (Eumenem) ad manum, inquit, scribae loco, quod multo apud Graecos honorificentius est, quam apud Romanos; nam apud nos re vera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur. Maior Cornelii auctoritas fit assentiente Cicerone, cuius eadem est sententia in orationibus Verrinis; nec Livius neque alii dissentiunt.

Satis igitur Scholiastarum opinio tot tantisque viris auctoribusque refutatur et coarguitur. Etsi difficilior iam videatur orationis quartae Catilinariae explicatio sortitione scribarum abiecta: tamen animum non despondebimus aliunde sperantes nobis latum iri suppetias. Modo reliqua orator, quae iam exquiremus, satis probaret. Scribas, inquit, universos video ab exspectatione sortis ad salutem reipublicae conversos. Quid vocibus argumenti sit subiectum, apparet: sortis causa congregatos universos postea se convertisse ad senatum, ut praesidium pollicerentur. Atqui alii in senatu aderant, ut acta consultaque perscriberent; alii in clivo Capitolino, ut nomina equitum in tabulas referrent [113]). Quibus nullum fuit decurrendi ad curiam otium, quum ne sufficerent quidem nomina dantibus.

Ultima verba corrupta sunt; legendum: *bonae se memoriae esse respondit*, vel *prodidit* vel *praedicavit*. De Sarmento Plut. Anton. 59 p. 943. 112) in Verr. 5, 79.

113) Dionys Halic. p. 703, 10. Zamosc. de sen. Rom. in

Non erit contra propositum, si exquiratur, quid fraudi fuerit declamatori Scholiastisque [114]). Apparet hos verbo sortis ductos erroribus se implicasse; oratorem aerarii nomine esse deceptum. Ambrosianus interpres orationis, quae in Clodium et Curium inscribitur, verba Ciceronis leviter attendens, quum Clodium sortiendi causa ad aerarium venisse nec ibi offendisse scribam legeret, scribas non minus putavit quam quaestores sortiri provincias. In quo non vidit, illorum fuisse, ut quaestorum nomina in tabulas publicas referrent. Festivior vero homo est alter, interpres orationis Catilinariae, qui illico a se callide excogitatam elegantemque narravit fabulam. Nimium diu viros doctos decepit. Declamator denique graviore dignus nota videtur et reprehensione vehementiore, quod imprudens falsa interpretatur. Non enim dubium est, quin rectius, quam tradat, omnia, si voluisset, scire potuerit. Hodiernus dies, inquit, frequentes advocavit scribas ad aerarium. At in clivo fuerunt Capitolino, si aliis fides est scriptoribus; at semper frequentes convenire ad aerarium solebant neque aliis in locis plerumque agitare muneris negotia. Cuius sententiae

Graev. Thes. I p. 1009. 2 Phil. 7, 16. Quis enim eques Romanus . . . . . quum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quamquam nec scribae sufficere nec tabulae nomina illorum capere potuerunt. cf. Plut. Cat. min. 25. Neque enim tacitum senatus consultum factum est, quod remotis scribis servisque publicis solebat fieri. Capitol. in Gord. c. 12. Valer. M. 2, 2, 1. Atque in iudiciis aderant scribae. Cic. Brut. 84, 290.

114) Non vereor, ne quis me conetur titulis saxorum refellere, ut est ille apud Orellium nr. 2263. Quae quidem verba si recte accipiantur ex sensu eius, qui iussit ea saxo incidi, ad antiquas scribarum conditiones referri non possunt.

paucos nominasse auctores sufficiet. Apud Plutarchum (Catonis minoris vita c. 16) invenio Catonem quaestorem multa continuo immutasse in ministris aerarii scribisque. Qui quum in publicis actis monumentisque versarentur et plerumque adolescentes magistratus et ob inscientiam rerum gerendarum regendos magis quam regentes nacti essent, eos potius arrogantia coercebant, quam ipsi illorum coercebantur imperio. Cato vero iuveniliter rem aggressus neque nomine imperii contentus ministris, sicuti erant, ita uti scribis continendo alios, alios docendo voluit. Addit Plutarchus inobedientes esse et segnes ab aerario repulsos. Egregie consentit orator, cuius operae debetur declamatio, quae pro domo inscribitur (28). Scribae, inquit, qui nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rempublicam beneficiis suum iudicium decretumque esse voluerunt. Quae possunt accuratius intelligi comparata oratione, quae est in Pisonem. Verba Ciceronis sunt (25, 61): Ita enim sunt perscriptae (rationes) scite et literate, ut scriba, ad aerarium qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput sinistra manu perfricans commurmuratus sit: ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται. Idem fere traditur epistola Ciceronis ad Rufum (5, 20); ubi legendus est Manutii commentarius; praeterea Lazii antiquit. p. 337 et Festus in v. scribae [115]). Denique testem habebimus Ciceronem, qui P. Clodium tanto prius ait ad aerarium pervenisse, ut ne scribam quidem ibi offenderet.

115) Plura de scribis Pitisc. in lex. Turneb. in advers. XI, 10. XXX, 24 et aliis locis; Barth. animadv. L. 1. Reinesii epist. ad Rup. 31 p. 158. Beier ad orat. in Clod. et Cur. p. 23. Torrent. ad Suet. Vespas. c. 5.

Iam vero priusquam ad aliud argumentum disputatio perveniat, animus est, loci controversi proponere interpretationem. Quum persuasum haberem, falso sententiam vulgo explicari, neque verius magistratuum sortitionem cogitari: quaerenti mihi lux tenuis quidem et evanida, at nequaquam spernenda ex verbis, quae pro glossemate vulgo habita viri docti abiecerunt, ego restitui affulsit. Putavi sortis nomine mercedem indicari solitam scribis pendi ad aerarium a quaestoribus. Neque vero explicatio, quia verbi significatio ullo testimonio Ciceronis vel probatorum scriptorum munìri non potest, iusta gravique reprehensione caret. Mercedem illi, quantum fert opinio, nunquam sortem dixerunt, quamquam in fenus datam pecuniam eo nomine saepissime significari constat.

Post haec multus orator est de atrocitate criminis (p. 10). Latius opinione ait disseminatum ac dispersum, nec solum per Italiae se diffudisse regiones sed etiam superatis Alpibus multas occupavisse provincias. Fucata haec est et puerilis exaggeratio. In Italia quidem quod gereretur, senatus quotidie ex litteris praetorum non minus accurate et vere, quam consul, cognoscebat. Motibus nocturnis in agro Piceno nunciatis idem Q. Metellum Celerem, qui sedaret, miserat; in Gallia ulteriore C. Murena, qui ei provinciae praerat, complures in vincula coniecit. Atque triduo ante si coniuratio in lucem protracta omnium cognitioni penitus patebat, quid senatus ignoratum a se ex oratione consulis quaesivisset? Omnia hic protulerat, indicaverat, exposuerat; senatus audierat, viderat, cognorat. Verum ne hac quidem conditione haec a me in crimine reponerentur, si modo de provinciis istis constaret. Ager Italicus nunquam ista verbi significatione est a Cicerone aut ab alio aliquo

eiusdem temporis provincia dictus, nec, verbis diligenter expensis, dicitur ab oratore; Gallia potius dicitur et terrarum tractus Transalpinarum. Quae multae vero provinciae? Antequam Caesar vastas Galliarum provincias imperio Romano patefaceret, semitam solum Cicero fuisse ditioni Romanorum subiectam memoriae prodidit [116]). Haec semita, etiamsi proprie vim verbi non interpretemur, estne digna, quae multae provinciae dicantur? Neque ad Allobroges, quod certissimum existimari potest, quidquam adhuc de coniuratione perlatum fuit. Legati enim nuncii et evocatores popularium Romae consulis adiuverunt industriam. Multoque post illae nationes diu dubiae fidei defectionemque spectantes [117]) arma bellumque moverunt. Itaque quodcunque additur subsidio, rerum fide corrumpitur et opprimitur luce veritatis. Sed animadvertas licet rhetorem, immemorem antiquitatis, immemorem historiae, ex sermonibus hominum arripientem, quae consuetudo qui temporis loquebatur. Galliis enim a C. Caesare in potestatem populi Romani redactis multae utique provinciae constitutae sunt in iis regionibus, quarum exigua pars ante parebat Romanis. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo Francisco Robortello, qui singulas enumeravit provincias et a quo victae essent, ostendit eo libro, quem de ipsis provinciis Romanorum conscripsit. Concedam tamen vera esse, quae tradantur ab oratore, etsi magnam iacturam faciam, si concessero, ut fere non liceat quidquam concedere: quis

116) Cic. de provin. consul. 13, 33: Semitam tantam Galliae tenebamus antea: ceterae partes a gentibus aut inimicis huic imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certe immanibus et barbaris et bellicosis tenebantur.

117) Auctor eius rei Cicero est oratione, quam habuit pro M. Fonteio 12, 26.

est, qui tam brevi commemoratione in tam gravi re senatui ignaro credat a sciente consule satisfactum? Profecto iniquis auribus ille, si veritas subesset, magnificam accepisset ostentationem; si falso iactatus timor, procul dubio inimici inanem fastum consulis lepide vexassent.

Varie oratione ea, quae terrorem faciant trepidationemque iniiciant auditoribus, iis admiscentur, quae otium pollicentur rerumque omnium stabilem firmamque tranquillitatem. Vindicandum est in maleficos; statim pericula spirat oratio, ante noctem animadvertendum iterato repetitur, opinione latius dispersum malum, Alpibusque superatis per multas provincias disseminatum. Ad bonam spem rursus componendi animi et a metu revocandi; continuo pericula sublata, omnes ordines incredibili consensu ad communem salutem defendendam parati, non opifex humilis atque egenus, non servus quamquam evocatus et sollicitatus contra patriam audax. Adeone igitur orator fuit constantiae immemor, ut celeriter ante dicta oblivisceretur?

Revertor tamen unde digressus delibavi alio loco dicenda. Ego, inquit orator, multa tacui, multa pertuli. Agedum quae tacuit? quae pertulit? nisi coniuratos cogitat, inepta narrat. Sane ea ad causam, de qua consulitur senatus, pertinere debent. Alioquin absurda iudicarem. Fuerunt qui C. Antonium, collegam Ciceronis, M. Crassum postea falso nominatum inter coniuratos ab indice subornato, C. Caesarem insimulari crederent [118]). A quibus

118) Suet. Caes. 17. Plutarchus (vit. Crass. 8.) et Caesari et Crasso obiectam a Cicerone post illorum obitum edita oratione societatem coniurationis tradit. Cuius si ille antea habuit cognitionem et gravibus causis permotus scire se dissimulavit: qui convenit, ut tamen imprudens prodiderit?

dissentiendum censeo. Patefacta coniuratione Cicero multos fore praevidebat, qui ad reprehendenda optimi consulis consilia occasione coniurationis abusi inimicos nominatos, ut de medio tollerentur, amicos, ut servarentur, non esse indicatos criminarentur. Putavit igitur non minus ad salutem suam quam ad existimationem speratamque ex virtute gloriam pertinere, ut ne ulla dubitatio aut obscuritas cuiquam relinqueretur. Quo spectans summos viros dicitur in senatu disposuisse, qui omnia dicta indicum, Allobrogum, coniuratorum et quaecunque agerentur, illico exciperent, litteris consignarent, in publica monumenta ad sempiternam memoriam rerum gestarum referrent. Quibus ille non satisfecisse rationibus prudentiaeque suae ratus operam dedit, ut omnia statim, quo facilius universi cives cognoscerent, evulgarentur. Operae tamen faciam pretium, si, quae litteris mandata in oratione, quae est pro P. Sulla, exstant, ipsa a me perscribantur. Verba Ciceronis haec sunt (1, 3): Ita, inquit. Tu enim investigasti, tu patefecisti coniurationem. Quod quum dicit, non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curasse, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum. Quare ista coniuratio, si patefacta per me est, tam patet Hortensio quam mihi. Et idem Cicero alio loco (14, 40): Ait me aliter, ac dictum sit, in tabulas publicas retulisse. O dii immortales! vobis enim tribuam, quae vestra sunt: nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentissima tempestate reipublicae mea sponte dispexerim; vos profecto animum meum tum conservandae patriae cupiditate incendistis: vos me ab omnibus ceteris

Verior tamen est sententia ea, neque scisse consulem neque tacuisse.

cogitationibus ad unam salutem reipublicae convertistis: vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae! Vidi ego hoc, iudices, nisi recenti memoria senatus auctoritatem huius iudicii testatus essem, fore ut aliquando non Torquatus neque Torquati quispiam similis (nam id me multum fefellit), sed ut aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hostis, aliter indicata haec esse diceret, quo facilius vento aliquo in optimum quemque excitato posset in malis reipublicae portum suorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in senatum indicibus constitui senatores, qui omnia dicta, interrogata perscriberent. At quos viros! non solum summa virtute et fide, cuius generis in senatu facultas maxima, sed etiam, quos sciebam scientia consuetudine et celeritate scribendi facillime, quae dicerentur, persequi posse . . . Quid deinde? quid feci? Quum scirem ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen custodia more maiorum continerentur: non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, dividi passim et pervulgari atque edi populo Romano imperavi. Divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias: eius indicii, e quo salus oblata esset omnibus, expertem esse neminem volui. Itaque dico locum in orbe terrarum esse nullum, quo in loco populi Romani nomen sit, quin eodem perscriptum hoc indicium pervenerit. In quo ego tam subito et exiguo et turbido tempore multa divinitus, ita ut dixi, non mea sponte providi: primum ut ne qui posset tantum aut de reipublicae aut de alicuius periculo meminisse, quantum vellet; deinde ne cui liceret unquam reprehendere illud indicium aut temere creditum criminari: postremo ne quid iam a me, ne quid ex meis commentariis quaereretur, ne oblivio mea

aut memoria videretur nimia, ne denique aut negligentia turpis aut diligentia crudelis putaretur. Hactenus Cicero. Cuius etiam plura liceret adscribere verba in eandem composita sententiam, nisi haec satisfacere quaestioni viderentur. Tanta igitur tamque incredibili diligentia Cicero in patefacienda coniuratione versatus nonne consilia illa singularia et paene divina praeclaramque providentiam in devitandis futurarum turbarum civilium tempestatibus irritam reddidisset et evanidam, si ullo tempore vel verbo tale aliquid, quale in oratione Catilinaria perscriptum exstat, de se praedicasset? Ac si unquam imprudens eiusmodi dictum emisisset, procul dubio operam dedisset, ne in oratione, quum ederetur, carpendum iniquis, posterisque testimonium temeritatis suae relinqueret. Quid quod postea inimici criminis loco Ciceroni, quod nimium multa competisse [119]) se diceret, obiecerunt? quid quod non Caelium, non P. Sullam, non Flaccum, si ita se multa pertulisse ac tacuisse edita oratione esset aliquando professus contra accusatores potuisset efficaciter defendere [120])?

119) ad Att. 1, 4, 5, ad div. 5, 5, 2.

120) Non praetermittam obiter commemorare historiam, quae pariter eodem modo in postremis duabus orationibus Catilinariis perscripta exstat (5, 5; 4, 6). Dicitur enim avus P. Lentuli C. Gracchum persecutus in Aventino et in pugna grave accepisse vulnus. Non alius Lentulus, nisi is qui princeps senatus fuit, potest intelligi, ut oratio octava docet, quae est in M. Antonium (4, 14). Is accusavit M. Aquilium aetate provectiore p. u. c. 629. Eundemque P. Lentulum Asconius patrem dicit eius Lentuli, qui iussu Ciceronis in carcere necatus diem supremum obiit (Asc. in div. 22). Reclamant viri docti Asconio eique fidem habendam negant maius intervallum inter utrumque esse rati, quam ut ille princeps senatus pater occisi Lentuli esse potuerit. Assentiemur viris doctis, fieri id non posse, si, ut

Porro orator: Nec tamen ego sum, inquit, ille ferreus, qui fratris . . . . moerore non movear horumque omnium

Ernestio placet, annus p. u. c. 692 consulem illum principem vidit. Sed haec sententia aegre defendetur. Faciamus anno 592 fuisse Lentulum III et XXXX annos natum; Gracchum persecutus est 633 p. u. c. ergo XXXXI annis post; natus igitur annos LXXXIV. Tum dicitur grave vulnus accepisse. Neque continuo post exspiravit; si ulla fides Valerio Maximo (5, 3, 2.), qui invidia caedis Gracchanae obtrectationibusque iniquorum compulsum, impetrata a senatu libera legatione, in Siciliam profectum, ibique perseveranter manendo diem supremum obiisse refert. Non videtur ante annum 640 p. u. c., fortasse post, Roma discessisse, quemadmodum nemo eorum, qui caede Gracchi populi invidiam contraxerunt, prius discessit. Quo consequeretur aetas Lentuli Roma abeuntis maior nonaginta annorum. Tolle annum consularem 592 (Pighius a. 608 p. u. c. inter quaestores Lentuli nomen habet), reliqua expeditius conciliabuntur eoque minus offensionis relinquetur, quod de illo anno gravissimae dubitationes excitari facile possunt. Aetate maturiore accusat M. Aquilium; 46 annos ponamus; annis quatuor post C. Gracchum persequitur vulnusque accipit; quinquaginta et sex fere annos natus in Siciliam proficiscitur, ibique perseveranter morando moritur. Adde aliquot annos, si placet; per me licet; quia non est, quod causae meae ruinam metuam.

Revertimur ad P. Lentulum eum, qui necatus est. Hic anno p. u. c. 683 consul fuit, certe non minor natu annis tribus et quadraginta et valde credibile est, maiorem eum fuisse. A Dione Cassio anno 691 senex dicitur periisse (p. 465. l. 46, c. 20). Statuamus quinquaginta et sex annos habuisse; qua quidem aetate C. Caesar a Dione senex est appellatus. Natus igitur est anno 634 aut 635 p. u. c. brevi post, quam Lentulus G. Gracchi conatus repressit. Cuius vita si gravem illam plagam, quam Gracchum persecutus accepit, sine iactura vigoris vitalis magna tulit: quae causa est, cur non eadem aetate filium procreare potuerit. Num minor natu Cato ille censorius, quum ex filia Salonii sobolem suscepit? Temere quidem non censeo dissentiendum ab Asconio, qui, ut primam orationem Catilina-

lacrimis, a quibus me circumsessum videtis. Ut omittam lacrimas, de iis potius quaeram, a quibus consul se ait circumsederi. Quid alii iudicarint, in annotatione dixi adiectâ ei loco orationis, in quo verba reperiuntur (§. 3); ego vero haec ab oratore non puto scripta esse, si eo vixisset tempore, quo antiquus reipublicae status manebat. Vidisset enim non cuiquam factam esse in senatum veniendi potestatem, nisi qui esset senator. Mutata haec senatus conditio postea est ab imperatoribus, qui magna caterva plerumque latera stipati et veniebant in senatum et sedere solebant. Itaque aut imprudens erravit orator, dum in alia tempora id, quod suo tempore solebat fieri, transferebat, aut neglexit accurate oculis mentique proponere imaginem senatus. Quod posterius ego quidem verius arbitror existimari. Cicero vero illa nunquam, ut opinor, in senatu neque eloqui potuisset, neque, si potuisset, ita esset elocutus.

Hactenus diximus, de quibus nostra quidem sententia vix ulla remanebit dubitatio. Neque inutile tamen erit alia videre, quae possint in suspicionem fraudis adduci aut eo nomine crimini dari oratori, quod iniuria praetermissa sunt. Haec posteriora, quia brevius absolvi poterunt, prius com-

riam cognitam habebat, ita reliquas sine dubio, si exstabant, legerat (cf. orat. in Pis. 2, 5. ibique Ascon.); et maior apud me eius est auctoritas, quam declamatoris. Verum non audeo de hac controversia certo decidere. Nam gravissimus auctor, Dio Cassius, qui Lentulum ξυγγονον Lentuli principis nominat, rationi meae non assentitur, ideoque eam in medio relinquendam censeo. Neque suffragatur Porcius Latro, si ei aliquid tribuendum est, qui ita loquitur (c. 28): Nihil in eo sanguinis aviti, nihil industriae Romanae, nihil splendoris domestici, nihil avitae frugalitatis. Fortasse tamen ea, quae avita frugalitas dicitur, non nimis subtili interpretatione urgenda est.

memorabimus. Quid igitur? Orator, quo senatui in decernenda poena severitatem commendet efficacius, omnia crimina coniuratorum, senatus iudicia, decretam sibi supplicationem, praemia data indicibus, copiose enumerat; verum id praetermisit, quod, si ulla res, maxime erat in animum memoriamque revocandum. Senatus enim, quum alia multa de reis severe statuisset, tum hoc longe statuit omnium severissimum, quod contra rempublicam eos fecisse decrevit [121]). Quid causae fuit, cur hoc iudicium orator neglexerit? Quid utilius sententiae, vel quo gravius defendere sua consilia, quod maius sibi adiumentum invenire potuit? Mirarer si constaret, Ciceronem adeo immemorem fuisse eorum, quae senatus paucis diebus ante censuerit; nam alia iudicia recensenti illud solum cur taceret, nulla causa fuit. In declamatore minus mirandum est, si qua res omittitur, quae non cuivis patebat. Inter ea, quae ex historia omissa in oratione desideravi, quum possent commode apteque commemorari, illud etiam referam, quod de Cethego fratre Cethegi eius, qui iussu consulis necatus est in carcere, memoriae est proditum. Is enim Cethegus ipse praesens fratrem suum morte multandum decrevisse dicitur. Haec sententia longe severior vehementiorque est, quam L. Caesaris, qui sororis virum, quod in coniuratione esset, vita privandum censuit; quo crudelius est, fratrem quam sororis virum occidere [122]). Orator vero ut alia multa ita ea quo-

121) Hoc quidem a Sallustio memoriae proditum est.

122) Neque Cethegum puto, nisi antecedentibus diebus sententiam dixit, longo intervallo post C. Caesarem, fortasse ante, in senatu verba fecisse, si quidem recte auguror, Caii fratrem fuisse eum Cethegum, qui duodecimo anno ante praetor fuit. Praeterea non est, quod de veritate traditae rei dubitetur. Quae etsi in unius Ampelii fide ni-

que, quae de L. Caesare tradit, ex oratione Philippica secunda (6, 14) arcessivit. Cuius commode ea oratione mentionem fecit Cicero, quoniam multum intererat exemplum veritatis domesticum repraesentari Antonio, quum alieni, ut Cethegi, commemoratio si non inepta et intempestiva tamen sine vi fuisset aut gravitate ea, quam orator debuit in adversario sequi.

Iam ad eam partem revertendum est, de qua ante diximus esse agendum. Neque vero a nobis reprehendetur orator, quod ait Terentiam summo timore excruciari (p. 6.), eoque mentem suam domum revocari. Bono illam quidem animo fuisse accepimus, auctoremque exstitisse viro, ut ne quid ulla ratione de eo, quod e republica esset, animi mansuetudine ac lenitate victus remitteret. Sed haec iure oratorio dicta haud aegre excusantur, quemadmodum multa solent ornandae orationis causa dici, quibus, etsi vera non sunt, animi eorum, qui adsunt, partim ad rerum suarum recordationem et amorem revocantur, partim ea ita accipiuntur ab auditoribus, ut quisque statim intelligat, non necessario quidem illa explicari, at tamen non sine fructu. In reliquis minus videtur orator a culpa vacuus. Quod nos facili opera dilucide sane demonstrabimus, si modo id concedant adversarii, ut paulisper non cogitent de oratione in Catilinam tertia. Nam ut de eius veritate vehementer dubitemus, multae causae sunt. Plurimum autem valet ad ea, quae sumus exposituri, quo illa loco veritatis habeatur. Eam ob causam nos veniam petivimus

titur, tamen non is est Ampelius, cuius fidem habeamus suspectam, praesertim quem antiqui scriptores verissimum testem iudicaverunt. vid. Salmas. in praef. et Ol. Borrich. Conjp. auct. Lat. Ling. p. 23. Ampel. libri memor. c. 19.

iam allaturi aliquot argumenta, quibus confisi suspectam habeamus orationem. Illa enim memoriae proditur, supplicationem Ciceroni esse ea praescriptione decretam, quod rempublicam atque Italiam crudelissimo bello liberarit [123]). De supplicatione vero postea erit dicendi locus; nunc de bello dicemus. Non ignoratur a nobis idem in epistola ad Metellum de bello (5, 2) praedicari verbis his: poena, inquit, iudicavit dignum (Metellus) eum, qui urbem incendiis, Italiam bello liberasset. Sic quidem Cicero; sed est illa commemoratio defensioni non gloriae data, et contra

123) Ad orationem tertiam in Catilinam quod attinet, non iam ad F. A. Wolfium provocabo, cuius quidem hac in re magni facienda est auctoritas; sed verbo tantum indicavit sententiam; certius, quantum scio, nihil reliquit. Verum tamen multis de causis accusari oratio potest, et rerum nomine et verborum. Quod etsi ego hoc tempore non censeo faciendum, tamen dicto argumenta non detraham, ut quodam pacto eis satisfiat, qui nihil putant nisi prolatis rationibus dici debere. Collegae meo, inquit orator (§. 14), laus a senatu impertitur, quod eos, qui huius coniurationis participes fuissent, a suis et reipublicae consiliis removisset. Quo decreto senatus miram tribuisset Antonio laudem, primum quod aperte eum fuisse non solum conscium coniurationis sed etiam socium iudicasset. Praeterea loco illo diligenter lecto et explorato non poterit dubitari, quin praesenti videatur laus impertita; in quo minus aliorum consentiunt testimonia. Nam videtur illo tempore iam urbe exiisse Catilinae persequendi causa. Ego vero si aliquatenus sermonem consuetudinemque Ciceronis perspexi, vehementer in illis verbis non potui non offendi. Hic enim non solet eos, quibus orationes edidit, de iis rebus celare, quas scire multum interest. Multum vero interfuit scire, praesenti an absenti Antonio gratias egerit senatus. Itaque *collegae meo praesenti* aut *absenti* Cicero scripsisset. Quod ego eo vehementius requiro, quo ille diligentius semper desiderio lectorum satisfecit. Denique si genuina oratio tertia, cur, quae in ea composita sunt pericula, quarta resuscitantur?

inimicum iactata eo tempore, quo satis constabat, bellum incredibili cura et industria consulis esse quam plurimum repulsum. Supplicatio autem, quia iis verbis decreta sit a senatu, eo magis dubitabimus, quo accuratius ea, quae et ab aliis scriptoribus et ab eodem Cicerone memoriae sint conservata, animo proponantur. Comprehensis enim coniuratis, Lentulo, Cethego, Gabinio aliis senatus, quam late pateret coniuratio, prorsus ignoravit. Et Catilina urbe pulsus consulari imperio ita evaserat, ut perspicue videretur in bellum profectus [124]). Idque traditur ab ipso Cicerone. An senatus, quo ad ille viveret, et armatus viveret magna hominum copia stipatus ac firmus belloque paratus reipublicae inferendo, supplicationem consuli, quod Italiam bello liberasset, ulla ratione probabili decernere potuisset? Cur C. Antonius consul missus contra Catilinam? cur magno cum numero militum missus? cur aliis imperatum, ut pro tempore agerent, quid utile reipublicae ipsi iudicassent? Age, videamus scriptores, quid tradant. Sallustius auctor est, duas legiones a Catilina, repudiatis servitiis, quorum magnus numerus fretus opibus coniurationis ad eum confluxerit, esse expletas. Appianus viginti milia hominum tradit cum illo fuisse. Belli plures faciunt mentionem, Plutarchus, Appianus, Dio Cassius, Asconius multique alii [125]). Locupletissimus vero testis gravissimusque, Sallustius, nunquam aliter. Cuius inprimis gravis ille locus est (24), quo Manlium principem belli faciendi fuisse refert. Quin etiam Orosius civile bellum fuisse ait et ab Antonio confectum (6, 6). Praeterea Catilina devicto a senatu Antonius imperator esse

124) vid. Valer. Max. 4, 8, 3.

125) Appian. bell. civ. I, 8. Ascon. ad orat. pro Mil. c. 21. Dio Cass. 57, 39.

appellatus traditur. Quod nunquam esset factum, si bellum in Italia nullum fore antea senatus decrevisset[126]). Nec Ciceronis deerit auctoritas. Tota fere oratione, quae est secunda in causa Catilinae, de bello disputat, sed negat esse pertimescendum seque ultro ducem profitetur. Tum oratione, quae pro L. Murena inscribitur, in hunc modum loquitur (37): Quaeris a me, inquit, quid ego Catilinam metuam. Nihil; et curavi, ne quis metueret: sed copias illas, quas hic video, dico esse metuendas: nec tam timendus est nunc exercitus Catilinae, quam illi, qui illum desertum esse dicuntur. Et paulo post haud aliter scriptum est; pro Sulla vero sic (19, 53): Hoc tempore, quum arderet acerrime coniuratio, quum Catilina egrederetur ad exercitum. Perspicue vero Cicero Catilinam tradit bellum gessisse oratione, quam pro Lucio Flacco habuit (39, 98 et 40, 102). Nec multo secius pro Sulla (11, 33): Ego consul, quum exercitus perditorum hominum clandestino scelere conflatus crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparasset, quum ad occasum interitumque reipublicae Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus esset constitutus — quinque hominibus confossis incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempublicam liberavi. Praeclare haec Cicero et ve-

126) Auctor est Dio Cassius p. 157. l. 37, 40. Hic si addit, numerum occisorum non iustum quidem fuisse, quo imperator appellaretur, sed esse decretum, ut sacra fierent, ad usitatumque vestitum tamquam repulsis omnibus periculis rediretur: nihil est, quod aliud manifestius exspectetur argumentum, quo sententia, quam de Italico bello sublato proposuimus, firmius probetur. cf. Cic. ad Div. 5, 5. ubi sine causa Manutius dubitat, quamobrem imperatoris nomen Cicero litteris praescripserit. cf. Jul. Obseq. de prodig. 62.

rissime, ut solet; rempublicam servare, faces ab urbe removere, Italiae vastitatem prohibere et arcere vigilantia, cura, diligentia consul potuit; bellum a Catilina conflatum atque motum diluere et dissipare illico non potuit. Quae quum ita sint: tamen supplicatio consuli decreta? Omnino et si unquam iusta de causa, tum saltem iustissima est decreta. Quid ita? O utinam minus declamatorum fraudes obstitissent virorum doctorum oculis, quo facilius iis vera licuisset dispicere! Nam verissima quaeque quum ipse Cicero traderet, fidem non fecit. Impudenter enim declamatores soli consuli supplicationem, quod bello Italiam liberasset, constitutam memoriae prodiderunt; Cicero longe gravius de se praedicat, gratias suo nomine diis immortalibus, quod servarit rempublicam, esse habitas. Nec quisquam erit, qui de hac gloria possit aliquid detrahere aut de rei veritate dubitare. Quamquam de supplicatione quae dicam, plura habeo: tamen nunc ea differo, quo possim commodiore loco ea pluribus commemorare.

Nunc venio ad aliam rem, quam minime puto deserendam, non minus fortasse gravem, quam illa sunt, quae supra, quoad eius fieri potuit, diligenter et accurate docui. Videnda enim illa quoque sunt, quae oratio illis diebus a consule et in senatu gesta prodat. Quae si erunt omnibus vestigiis indagata, non paucis nec tenuibus commodis, quantum coniectura auguramur, quaestionem institutam adiuvabunt.

Consequitur ex oratione quarta Catilinaria ante diem III Non. Dec. in custodiam datos coniuratos esse, supplicationemque decretam; neque amplius quidquam actum est, nisi quod Cicero pro concione orationem habuerit; postridie praemia data sunt Allobrogibus Titoque Volturcio.

Haec ex oratione quarta in Catilinam cognoscuntur. Quae etsi plura, quam satis est, videantur, tamen praeterea erunt multa in breve illius diei spatium conicienda, si verus testis est Sallustius, in cuius fide iam tota disputatio nostra acquiescet [127]). Postridie eius diei, inquit, quo die sunt comprehensi coniurati, quidam L. Tarquinius ad senatum adductus est, quem ex itinere ad Catilinam proficiscentem retractum memorabant. Is fide publica accepta de coniuratis eadem fere, quae reliqui indices, senatum docuit seque ad Catilinam a Crasso missum. Quem ubi nominabat, in varia iudicia distractus senatus, quum alii rem incredibilem esse, alii, etiamsi vera indicarentur, hominis vim leniendam in tali tempore existimarent: vehementer omnes conclama-

127) Saepe ego in hac disputatione, quanti facienda fides Sallustii, mihi videatur, minime dubia documenta dedi. Facile me aliquis temere fecisse arguat, praesertim quum non negandum sit, errasse Sallustium de senatus consulto, quo sit summa potestas totaque res publica commissa consulibus. Qua in re quam saepe cum eo viri docti expostulaverint, quis ignorat? Ego vero neutiquam agnosco errorem Sallustii. Expositis enim iis, quae a Manlio aliisque in agro Italico gesta sint, eo revertitur, unde digressus est, ut, quae eodem tempore Romae evenerint, brevi narratione subiungat. Quo animadverso res, quas tradit, tam commodo tamque apto ordine exponuntur, ut minime debuerit a viris doctis acriter reprehendi. Qui si festinantius quam attentius in iis rebus versati vera non intellexerunt, non Sallustio negligentiae culpa sustinenda est, non magis, quam Veleio Paterculo, quem Manutius, quum posset, de legibus Romanis disputans (c. 15) non assecutus est (II, 32.). Velleius enim *per idem tempus* dicens ea intelligit, quae biennio ante gesta sint; Sallustius *interea* posuit significatque ea, quae minus viginti diebus ante acciderint. Sunt hae dicendi formulae, ut verissime iudicavit Ruhnkenius de Velleio, pinguius sive populari quadam ratione accipiendae. vid. Sall. Cat. 28, 4.

verunt, falsum esse indicem, postulaveruntque, ea de re uti a consule referretur. Factum est senatus consultum: falsum indicium videri, Tarquinium vinculis tenendum, nisi indicasset, cuius consilio tantam rem mentitus esset. Postea fuerunt variae hominum opiniones de L. Tarquinii mendacio. Quibus haud dubie excitati Q. Catulus et C. Piso iisdem temporibus (sic enim Sallustius) a Cicerone, ut per Allobroges vel alium indicem falso C. Caesar nominaretur, petiverunt. Ubi illum neque gratia, neque precibus, neque pretio ad tantum facinus compellere potuerunt, circumeundo singulatim atque ementiendo, quae ex Allobrogibus se audiisse dicerent, magnam invidiam Caesari conflaverunt usque eo, ut equites, qui cum telis praesidii causa circa aedem Concordiae erant, egredienti e senatu gladiis minitarentur. Interea Cicero senatum convocavit retulitque de facto coniuratorum. Senatus contra rempublicam videri fecisse decrevit. Dum haec geruntur liberti et pauci ex clientibus Lentuli diversis itineribus opifices et servitia ad eum e custodia eripiendum sollicitabant; alii duces multitudinum exquirebant, qui pretio vexarent rempublicam. Neque interea Cethegus quiescebat. Libertos familiamque per nuncios orabat, grege facto cum telis ad sese irrumperent. Quibus cognitis consul non diutius differendam poenam comprehensorum reorum esse ratus vocato in posterum diem senatu praesidiisque dispositis, ut res tempusque monebant, retulit, quid de iis fieri placeret, qui in custodiam dati essent.

Quam multa haec sint, neminem fugit; omnia autem, si vera oratio quarta est genuinusque Ciceronis foetus, necesse est, ut die gesta uno et inchoata et suscepta et confecta sint. Quo magis erit mirandum, si ne haec quidem sufficiant, multitudoque rerum tanta tam angustis temporis

circumclusarum finibus augeri non solum possit, verum etiam debeat. Quod non puto obscurum esse ex iis, quae dicturi sumus. Cicero enim quum aliis ornat orationes virtutibus, tum diligentissime solet rerum gestarum ordinem, ex quo consecutae sint, servare. Iam quid alia proferam? Quaestioni satisfacit affatim oratio, quae in Pisonem inscribitur, in qua haec (2, 5.): ego L. Catilinam caedem senatus interitum urbis non obscure sed palam molientem egredi ex urbe iussi, ut, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus. Ego tela extremo mense consulatus mei intenta iugulis civitatis de coniuratorum nefariis manibus extorsi. Ego faces iam accensas ad huius urbis incendium comprehendi, protuli, exstinxi. Me Q. Catulus, princeps huius ordinis et auctor publici consilii, frequentissimo senatu parentem patriae nominavit. Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius, his audientibus civicam coronam deberi a re publica dixit. Mihi togato senatus, non ut multis bene gestae, sed ut nemini, conservatae reipublicae singulari genere supplicationis immortalium deorum templa patefecit. Haec ita Cicero plane ex ordine, ut in senatu acta sunt, commemorat. Nec temere ista aut obiter in senatu tractata esse certissimis testimoniis comperimus. Eius sententiae complures citari auctores possunt; Ciceroni adstipulatur Plinius ob singularia et paene divina in rempublicam merita illum esse parentem patriae a senatu publico consilio appellatum; idque approbat Iuvenalis [128]). Tum alio tempore, id quod perspicue ex eo, quo res gestae senatus singulatim laudantur, ordine colligitur, L. Gellius Ciceronis civica corona donandi au-

128) ad div. 15, 4, 11. Phil. 2, 5, 12 et seq. et 51. pro Sest. 57, 121. Gell. 5, 6. Iuv. 8, 244. Plin. 7, 30.

ctor fuit. Quamquam senatus non idem sensit, aut, si sensit, publica auctoritate non putavit approbandum, non id nostram infirmabit sententiam. Ad eam causam, quam defendimus, obtinendam satis erit, ut intelligatur, multo plura esse, quam vulgo credantur, illis diebus gesta.

Neque quemquam puto futurum, qui gravitatem rerum a senatu decretarum Ciceroni defendat opportunitatem dedisse, ut alium ordinem enumerandarum earundem rerum probaret, quam fuisset decernendarum. Quae minime probabilis sententia est, quoniam verbis ipsis redarguitur. Nam longe maius fuit, parentem patriae nominari quam civica corona donari aut decerni supplicationem. Quae multorum honori tributa est, quorum merita nullo pacto tanta erant, ut parentes patriae possent appellari. Ex quibus debet intelligi, supplicationem esse postremo decretam loco. *Quod* non obscure apud Dionem Cassium invenitur (p. 92.).

Satis igitur ex iis, quae dixi, manifestum est, copiam rerum esse tantam, ut non possit esse maior. Equidem omnia ista legens reputansque mecum brevitatem temporum, quibus geri debuerint, denique contestata animadvertens oratione quarta, quae in Catilinam fertur, mirifice animo commovebar; mox ad Iudaeum Apellam remittebam. Atque ut dicam sine pigmentis fucoque, quid sentiam, non minus ea arbitror, quae de supplicatione nimis celeriter decreta referuntur, nugas esse et figmenta, quam reliqua, in duorum dierum spatium vel potius diei coartata, somnia et mendacia hominum otio suo aliorumque immoderate abutentium. Supplicatio procul dubio necatis coniuratis, non triduo ante comprehensis datisque in custodiam decreta; quemadmodum reliqua senatus, quae honori consulis censuit tribuenda, non ante Nonas Dec. decrevit. Alioquin

oratione Catilinaria essent commemorata. Sic quidem tradit Cicero, cui accedit Dio Cassius, quo nemo accuratius veritatis pressit vestigia. Plutarchus vero, quamquam de supplicatione nihil memoriae mandavit, proximus tamen ad nostram sententiam est. Apud alios scriptores nihil certius perscriptum invenitur. Omnino rei natura atque ratio ipsa hoc faciunt probabilius iubentque statui. Ignorato enim, quam late diffusa pateret coniuratio et ad quos contagio pertineret sceleris, festinantius quis calidiusque iudicatum diceret a senatu, quod tam celeriter supplicationem consuli summis in periculis decrevisset. Si autem decreta est consuli, quod eius diligentia pericula sint a civibus et urbe sublata et profligata, quid ille suae ipse gloriae adeo non pepercit, ut nihil plus quam pericula et terrorem et incendia et caedes in oratione quarta loqueretur?

Sed haec hactenus; alia videamus. Neque enim me praeterit non fortuito esse factum, ut de honore consuli constituto Sallustius, qui reliqua acta senatus omnesque res id temporis gestas diligentissime persequitur, nihil recordetur, neque quidquam omnino memoria litterarum servarit. Praevideo quidem fore multos, qui ea inimicitiis, quas gesserit cum Cicerone, tribuenda censeant. Lubenter patiar, illi ut in ea acquiescant opinione, quae quavis fere pagina librorum Sallustianorum refutari potest. Atque quae adeo omnium cognitioni patebant tantaque fama celebrabantur, ut nemo ignoraret, quomodo ea potuissent silentio praetermitti aut obscurari? Nonne Sallustius suam ipse fidem suspectam fecisset summumque in discrimen adduxisset? Sed etiam hac in re praeclare ille. Enumerat praemia data indicibus, quia statim data sunt et ad historiam coniurationis pertinere arbitratur ea commemorari; tacet de honore

consuli habito, quia eo tempore est tributus, quod propius coniurationem non attigit.

Quo loco non possum temperare mihi, ut id taceam, quod non mediocres saepe animo aculeos admovit meo nec eum parum habuit sollicitum. Non quidem me fugit lubricis admodum et paene fluxis fundamentis ea exstrui, quae iam sum dicturus: verum tamen tam saepe illa animo obversabantur misereque me solebant pungere, ut religiosum putarem, nihil dicere. Quae tandem causa fuit (ita enim mecum agitabam), cur declamator tribus diebus rem totam voluerit confici? Num id fortuito factum? istum ementitum omnia credam, ut Appianus fere in plurimis, quae de coniuratione scribit, mira mendacia libris mandata posteritatis reprehensioni reliquit? Breviter ut dicam, declamatorem esse ipsum putabam deceptum. Cuius sententiae fundus mihi est epistola Ciceronis ad Atticum missa (1, 13): „Τοποθεσίαν, inquit, quam postulas, Miseni et Puteolorum includam orationi meae. A. d. III Nonas Decemb. mendose fuisse animadverteram. Quae laudas ex orationibus, mihi crede, mihi valde placebant. — — — In illam orationem Metellinam addidi quaedam. Liber tibi mittetur.“ Litterae scriptae sunt p. u. c. anno DCXCIII. altero post consulatum, quo Cicero tempore operam didit, ut orationes biennio ante et paulo post habitas quam subtilissime elaboraret et ita emendaret, ut aliis possent ad legendum edi; ut satis constat alia epistola (2, 1). Neque id puto obscurum esse litteris illis dici scriptum quoddam, in quo a. d. III Non. Dec. mendose erat additum; et si ex argumento epistolae aliquid liceat existimare, oratio significatur. Favet coniecturae orationis nomen antecedens et mentio aliarum orationum insequens. Quid, si tertiam orationem, quam

in Catilinam habuit, falso inscriptam Cicero, antequam in corpus redactas consulares omnes ederet, ad Atticum separatim miserit? Neque id raro fecisse videtur. Testimonio nobis non solum ipsius verba sunt, quibus ex orationibus suis quaedam scribit ab Attico laudata, verum etiam epistola prima libri secundi, ex qua iste mos orationum, antequam in corpus redigerentur, mittendarum perspicue potest colligi atque cognosci. Facile vero fieri potuit, ut descripta seorsum oratio neque correcto diei indicio in manus denique eius venerit, qui orationem, quae est quarta in Catilinam, composuit. Hinc proclivis erroris occasio. Quodsi eiusmodi menda dicam animadversa, nec correcta: non sine exemplo dico. Notissimum omnium inventum est in iis libris, quos de republica Cicero scripsit. In quibus quum Phliuntios (2, 4, 8) posuisset, postea Phliasios corrigendum animadvertit iussitque errorem tolli. Nihilo minus hodie adhuc ille manet (ad Attic. 6, 2).

DE INVENTIONE ET DISPOSITIONE ORATIONIS.

Praeposteram admirationem veterum scriptorum, quam supra descripsimus ac iure notavimus, in eorum iudicio, qui incredibilem artem inveniendae disponendaeque orationis, quae in Catilinam quarta est, adhibitam consumptamque esse putaverunt, saepenumero offendere nobis videbamur. Non omittemus recensere, quae illi admiratione dignissima iudicaverunt. Tribus vel quatuor locis apte comprehendi absolvique illa possunt. Primum non mediocri laude duxerunt habendum, quod tanta obscuritate verborum res involverentur, ut nemo iniquus consuli sententiam, quam de reis tulisset, quia non intelligeretur, crimini dare posset, deinde, quod, quum dicendum esset, id tam ambigue ab oratore fieret, ut, prouti quis statueret, aut nihil dictum videretur, aut tamen dictum aliquid, quo malevolorum sermones et iniuriae compescerentur sedarenturque; tum quod oratio egregie ita inter Silani et Caesaris sententias versaretur, ut, etsi neutra improbaretur, tamen novi aliquid, quo auditores delectarentur, afferretur, denique quod oratio ut in singulis partibus incomprehensibilis et diffusa ita tamen consulis voluntatem callide patefaceret. Ab horum hominum sententia iudicium nostrum magno opere abhorret. Ambiguitatem sive obscuritatem dicendi, quam laudant,

nos alio loco acriter reprehendimus, in ea plus damni, quam emolumenti, oratori repositum esse rati. Nam trepido consule amici ipsi in errorem coniecti, quid statuerent, vehementer dubitandum sibi vidissent; inimici faciliorem obtinendae causae viam esse apertam munitamque timiditate adversiorum. Nec quidquam profuisset oratio aut paucis aut nemini intellecta, quae neque adversarios terreret neque suffragatorum constantiam confirmaret; denique indigna excellenti summi oratoris ingenio videretur. Nam etiam dissimulando satius est certam definitamque tueri sententiam, quam ambigue dicendo amicos offendere, inimicos excitare; alioqui tacere praestat. Quam haec vere sint dicta, interpres ille vetus et Plutarchus declarant, quorum alter ne *intellexit* quidem sententiam oratoris; alter intellexit, sed parum dilucide comprehensam oratione ratus ad mirabile commentum confugit. Quid igitur expediit oratio? qua *in* re aut rationibus suis consul aut famae existimationique suae consuluisset? Quo cognito illud quoque intelligitur, nos *sine* ullo detrimento causae facile posse in posterum iis, qui artificium oratoris nescio quid admirentur, concedere, ut eo incolumi atque integro fruantur; modo desinant molesti esse, priusquam firma, quae infirma dicimus, laudanda, quae vituperamus, apta, quae eiicimus, digna Cicerone, quae ab eo alienissima iudicamus, esse ostenderint. Omittimus haec, quae commemorari satis fuit, multaque alia praeterimus iam eo properantes, ut de apta dispositione et inventione sententiarum, de his ipsis sententiis, deque necessitudine, qua quaeque dici debuerint, accuratius, quantum viribus sustineamus nostris, anquiramus.

Oratione tres partes commode discernuntur, quarum prima exordium est, altera versatur in iudicio de coniuratis

et comparatione dictarum sententiarum; tertia curas consulis difficultatesque, quae sint in eo, quod senatus statuerit, conficiendo, tum perorationem continet. Summa (I) cum exspectatione totius senatus ait ad dicendum se surrexisse; omnium oculos in se conversos senatumque universum magis de consulis quam de sua salute sollicitum. Addit gratum id quidem sibi esse factum, sed debere cives suis ipsorum rebus consulere: sibi hoc esse decretum, ut, si ita opus esset, parato animo, quemcunque fors tulisset casum, quodque periculum pro salute reipublicae subiret. Nempe (II) se esse eum consulem, qui nihil tuti ullo tempore ullo loco habeat; gaudere tamen, quod, si haec a diis immortalibus immittantur, consulatus suus fatalis saluti reipublicae exstiterit (§. 2). Quibus dictis orator denuo exhortatur (III) senatum, ut suas res suosque defendat; consulis cura ne fatigetur, quia is salutem speret a diis pro suis egregiis in rempublicam meritis, et si quid acciderit, paratus sit ad gloriosissimam mortem oppetendam. Ac moveri se quidem ait suorum perturbatione et metu, malle tamen omnes fore salvos, quam illos una cum reliquis perire. Itaque addit (IV), patres conscripti in gravissimo crudelissimi belli periculo, in quo interitus ab hostibus non mutatio reipublicae quaeratur, diligenter sibi consulant; omnia (V) esse per indices cognita, a senatu actas sibi gratias, coniuratis custodiam, indicibus praemia decreta, reliqua ita gesta, ut ii, qui nominatim sint in custodiam dati, sine ulla dubitatione damnati esse videantur.

Hae fere sententiae sive loci sunt exordii, non immunes quidem illi reprehensione. Nunc vero quae initio sunt dicta, in criminis loco nondum reponemus, antequam iis ad exstruenda reliqua tamquam fundamento usi sumus. In con-

gerie sententiarum plura sunt animadversione digna. Ter enim repetita admonitione consul semper idem senatui suadet, semper de se idem praedicat, nec tamen ulla repetitae admonitionis causa invenitur. Semel si ea essent dicta, satis fuit. Idque non minus reprehendendum est, quam quod sequitur. Bis enim senatum admonet, ne consuli timeat, bis mortem a se non reformidari addit, totitemque de consiliis suis, ter de saevis crudelibusque coniuratorum conatibus, additis alienis rebus, disputat. Mirifice vero non solum istis repetitionibus taedium legentium movetur, verum etiam damnum infertur iis sententiis, quae sunt in alia parte orationis, nec tamen alio argumento continentur. De quibus postea praebebitur dicendi occasio. Neque ordo aptus illa ratione solum negligitur, verum etiam concinnitas sensorum cogitationumque, nec orationis contextus commode cohaeret. Cuius principio cognito (§. 1) transiturus ad alteram sententiam (§. 2. II) si commissuram, qua utraque sententia quasi vinciatur et copuletur et coagmentetur, quaeras, frustra laborabis. Nec secus tertio in loco accidit (III). Porro inepte admodum ea accedunt, quae postremo (V) loco reposui, quae de patefactione coniurationis sunt dicta. Nam omnino non est initum prudens consilium, quo ante occupantur, quae argumentatione subtili rationibusque omnibus in utramque partem expensis invenienda erant. Quod ut inscite fecit orator, ita etiam laudes evertit eorum, qui orationem maxime celebrare solent. Nam omnia his verbis prodidit, quae callide tacuisse plerique oratorem putant. Ac senatusne ea ignoravit, ut consulis esset eum admonere?

Perlectis primis verbis orationis iam aliquis mihi mirabitur, quod idem, qui modo de suis rebus cogitandum esse

negavit, statim oblitus admonitionis in ambitiosam periculorum insidiarumque suarum enumerationem incidit. Praepostere sane id factum est, nisi forte obscure quidem at astute senatum, ut tamen de se cogitaret, rogare voluerit. Improbarem tamen, si quis hoc interpretaretur, quia idem orator paulo post non aliter iudicans denuo eundem senatum ad communem salutem retinendam fortiterque decernendum exire cohortatur. Denique oratoris ingenium simplex est minimeque vafrum aut ad fraudem faciendam aptum.

Quam alienum fuerit ab instituto Ciceronis, eo die, quo die de coniuratis senatus iudicavit, aliquid tacere idque publice profiteri, alio docuimus loco, et falso id dici Cicerone ipso auctore comprobavimus; alterum restat negotium, ut ineptum etiam id esse declaremus. Accipe igitur, quid simus dicturi. Cui propositum est, ut de re quapiam vere iusteque statuat atque iudicet, is eius rei, de qua est iudicaturus, scientiam cognitionemque, quantum eius fieri potest, perfectam expletamque habere debet. Quam si minus erit adeptus, iustam atque integram sententiam ferre non poterit. Itaque nihil licuit senatum celare, primum ut iuste iudicaret, deinde ut sine timore, tum ut sine errore, denique ut sine invidia. Sed ne Cicero quidem impune multa a se taceri in senatu dixisset; si quidem verendum erat, ne inde inimici occasiones causasque obtrectationum invidiaeque repeterent.

Saepe de principio orationis cogitantem me animoque reputantem, quid apte, quid eleganter et commode diceretur, quaeque ab aliis scriptoribus mandata memoriae exstarent, semper fervor iste, quo orator coepit dicere, nescio quomodo male affecit et iniucunde pupugit non ignorantem, quam id genus dicendi ab elegantia Ciceronis abhorreret.

Sallustius in simili causa vel potius eadem multo rectius versatus est. Non vi atque impressione, non ala et umbonibus, ut dicitur, in coniuratos mea quidem sententia irruere decuit et evertere adversarios. Non est aequi iudicis bonique consulis severitatem ex dolore suadere aut iudicium tristi periculorum enumeratione corrumpere: sed sedato ac tranquillo et aequabili ac temperato dicendi genere explicare ordine, via, ratione omnia facinora, momenta temporum, hominum, factorum expendere, iudicia populi Romani, et quae tunc essent et quae futuro tempore instarent, expromere, iusta quae essent, docere, denique necessariam idoneamque poenam suadere. Quo facto prudentibus satisfecit, reipublicae consuluit, iustitiae causam defendit, insolentiae crimen aufugit, obtrectandi occasionem, acsi senatum decepisset, conturbasset, induxisset, invidis eripuit. Nunc orationi, qualis hodie est, laus illa periit: Sallustio vero, quo rectius rem aggressus omnia, quae expedirent, acutissime perspexit, eo cumulatiorem laudem tribuendam esse plusque honoris habendum censemus. Sed satis de principio. Iam videamus, quatenus alia magis laudanda sint.

Orator igitur sibi ad ipsam causam commodo progressu viam muniens et de facto et de poena se relaturum profitetur. Quae verborum sententia sit, alio loco docuimus. Repetitio sententiarum, quae ab aliis dictae sint, non potest intelligi, sed est de relatione aut narratione cogitandum. Quid vero? nonne illis verbis exspectatio bipartitae orationis, qua et de facto agatur et de poena, excitatur? Nihil minus sequitur. Primum orator ea, quae ad se pertineant, dicturum se affirmat, incertum, qua in re illa spectentur; tum ad atrocitatem admissi susceptique criminis in exordio

expositam, furorem civium, difficultatem opprimendi periculi necessitatemque celeriter vindicandi revolvitur (p. 9, 1. §. 6.).

Deinceps ad rem proprius comparationemque sententiarum (quae altera pars est orationis) aggressus (p. 10, 8.) duas sententias adhuc ait de coniuratis esse dictas, alteram a Silano, alteram a Caesare. His inter ipsas comparatis (I) Caesaris sententiam aliquid difficultatis arbitratur habere in transigendo (II), sperare tamen se fore, ut, si quid impediat, sua opera removeatur. Quibus transactis rursus ad primum locum revolutus ea, quae omnes audiverant, ita exponit, quasi nemo in senatu disputantem Caesarem audivisset (III). Tum explorat huius sententiam. Quem si senatus sequatur, inquit, sibi minus molestiarum creari nec esse populares impetus timendos; sin Silanum, paulo plus contrahi negotii (IV). Postea summas laudes Caesari attribuit, quod sententiam dixerit viro summe populari dignissimam longeque rectius iudicarit, quam alius nescio quis, qui, ne de coniuratis iudicaret, a senatu abesse maluerit (V). Hactenus de Caesare, nunc de Silano (p. 16, 9). Quamquam, inquit, si Caesarem senatus sequatur, id gratum fore populo Romano videatur, tamen, si Silani sententia magis placeat, effecturum se profitetur, ut crudelitatis crimine et senatus et consul exsolvatur, immo ut haec sententia ut lenior praeferatur (VI). Postea (VII) longa oratione multisque verbis ad ea, quae saepius initio erant dicta, relapsus in summa severitate summam misericordiam, clementiam, lenitatem spectari iudicat.

Luculentior quidem haec sententiarum descriptio, quam ea, de qua supra a me disputatum est, neque tamen idcirco alienior reprehensione. Quae secundo loco de difficul-

tatibus exponuntur, ea mirifice ordinem et concinnitatem disturbant, aut, ut lenius dicam, incommode intercedunt. Postea rectius, ut opinor, erant dicenda. Quin oratio diremptis sententiis, quae aroto vinculo connecti debebant, mire hiat [129]). Reliqua quam eleganter conveniant, intelligi facilius potest quam exponi; fortasse tamen sentietur, si sententiae nude et inornate ob oculos positae tamquam in tabula conspiciantur (p. 12, 12 seqq.). Caesaris, inquit, sententia consuli molestiae creantur (1); hic tamen suas rationes negligit (2). Caesaris sententia amplitudine eius dignissima est (3). Sic naturali vinculo oratio nullo cohaereret; ab arte igitur petenda copulatio. Verum ne id quidem orator sustinuit, qui eo genere dicendi iisque ornamentis hunc locum absolvit, ut nemo non Ciceronis exercitationem vim facultatemque vehementer desideret. Tum bis publicandorum bonorum mentio (§. 8 et 10) iisdem prope verbis eademque de causa; deinde etiam vinculorum, praeterea aliarum rerum, quae non fuerunt necessariae. Postea carmen illud de criminis atrocitate ter repetitum sequitur (§. 11 — 13). Reliqua aliis perlustranda mandabo. Id vero doctis iuxta indoctisque patet, non posse orationem nervis cohaerere et aculeos ad auditorum animos admovere, in qua nescio qua de causa eodem modo eadem tam frequenter iterantur conduplicanturque. Videtur tamen mihi orator inopia argumentorum usus repetita criminum et periculorum atrocitate, ut

129) Quam haec melius refellerit Sallustius, declaratur oratione Catonis: videlicet, inquit, timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores.

tamen aliquid, quo senatus ad severitatem excitaretur, oratione exponeretur. Non intellexit quidem taedio repleri animos audientium repetitionibus earundum rerum et ipsam atrocitatem superante fastidio sensim perire.

Praeterea plerasque sententias acute inventas esse prorsus negandum est. De causa coniuratorum quod nihil aliud, nisi quod Silanus et Caesar, dicitur, iure oratoris prudentia consiliumque reprehenditur. Nam neque auribus senatorum neque tempori parcens renovandis iis, quae omnes audierant, senatoriae deliberationi, quam accelerandam ait, ipse calumnia dicendi tempus exemit. Inutilis vero fuit oratio, cuius argumenta illico dilaberentur, nec ulla certa esset sententia nec voluntas loquentis aperiretur exacteve exprimeretur, quod usui esset senatui. Lubente me tamen unusquisque suum habeat iudicium; ego tamen ita censeo, nihil posse ieiunius inornatiusque dici, quam ea dicta sint, quae oratione exponantur. Tu vero acerrime accusato oratorem, qui nullam rem sequitur, nisi quae sit minime cum suo periculo coniuncta, qui omnia ex suis molestiis perpendenda censet, qui iustitiae ne verbo quidem faciat mentionem, qui denique in omnibus, quae dicat, immemor sit, quam consulatus ipsi personam gravem sanctamque imposuerit, et ne utilitatis quidem publicae habeat rationem. Tantum igitur ille sibi arrogavit, ut omnes de consulis salute, neminem de iustitia, legibus, commodis reipublicae cogitare arbitraretur? Summa deinde inconstantia; modo lenior Caesaris sententia, modo severior. Perversa autem ratione Silani iudicium de reis commendatur. Quis enim unquam fando audivit, summam clementiam summa severitate atque adeo crudelitate consistere; mitissimum esse, qui acerbissimam poenam decernat; supplicium qui non sumat, inhumanum

et crudelem. Non ego aegre, si ulla eiusmodi alia mihi ostendatur perversitas iudicandi in genuinis libris Ciceronis, omnia, quae scripsi, abiiciam. Atque in ea quoque re orator vituperandus est, quod facit id, quod solent inertes inexercitatique, ut cuiusvis iudicio, quid velit iudicare, committat; persuasionem oratione non faciat aut etiam invitis extorqueat animumque auditoris, quocunque res postulet, impellat. Hic vero eo inferior, quod sentiens, improbari suam sententiam posse, amplius, quo auditores licere sibi aliter iudicare sciant, de suo se sensu ita statuere addit. Ciceroni ego eiusmodi nugas et ineptias sine piaculo non puto posse assignari, declamatori libenter concessero (p. 16).

Praeterea si quis quaerat, quid orator hac in parte orationis effecerit, quid assecutus sit, quid sibi aliisve profuerit: difficile erit respondere. Multa inutilia sunt, multa etiam adversa consilio consulis et contraria. Alia sunt eiusmodi, ut orator verbis abreptus ea, quae sibi dicenda essent, non satis reputarit. Ac si multus est in laude Caesaris, causa quidem, cur laudet, latet; non latet, ineptam esse laudem. Nam etsi Caesaris dicat sententiam esse talem, sicut ipsius dignitas et maiorum eius amplitudo postulet, tamen nescio, qua in re eximia virtus sit quaerenda. Accedit, quod nonnunquam iis verbis utatur, quibus nescias, derideatur an laudetur Caesar (p. 16. 2). Nec alio tempore fortasse fuit in maius discrimen adductus popularis eius favor et gratia, quam coniuratione Catilinae. Dio auctor est populo placuisse ademptum Lentulo imperium, Sallustius scribit exsecratum esse coniuratos, Catulus atque Piso magnam Caesari contraxerant invidiam; nobilissimi quique sententiam de animadvertendo dixerant, equites Romani, qui cum telis circa aedem Concordiae excubiarum

causa erant, gladiis ei minitabantur; hic Caesar conservandos censet eos, qui omnium odio vivebant. De quibus si postea aliter populus Romanus iudicavit idque ipsum Caesari, quod conservandos censuerat, honori fuit, reputandum est cum tempore mutari voluntatem populi aliasque causas nasci, quae alio eum impellant.

Quid disputo, quum id, quod defendo, re ipsa comprobetur? Honorifica quidem fuit et grata laudatio popularitatis apud populum et in concione; senatus vero minus id studium popularis gratiae probavit [130]). Nam quo magis quis se populo tradidit, eo vehementius solebat senatui obniti. Idque postea in ipso Caesare cognitum est. Nec difficile fuit negotium, in Caesaris caput telum, quo orator Lentulum incessit, retorquere. Id hac fit ratione: Lentulus, qui de pernicie populi Romani cogitavit, non est popularis; sed tu quoque, C. Caesar, non es, qui totam civitatem delere conatos iudicio eximere studes, vel saltem lenissima poena decernis afficiendos. Manifesto eiusmodi sententiis quasi dedita opera laudes antea tributae evertuntur. Videtur id sensisse interpres vetus, qui Ciceronem scripsit laudando vituperare (p. 37.).

Proinde non erit difficilius ex iisdem verbis Ciceronem crudelitatis accusare. Quamquam, inquit, patres conscripti, quae potest esse in tanta sceleris immanitate punienda crudelitas? ego enim de meo sensu iudico. Haec orator, et quae sequuntur, ad verbum conveniunt. Quid si Caesaris

130) Hic locus omnino mihi est indicio, quo admoneor, non esse a me temere disputationem susceptam et institutam. Ita enim, ut factum est ab oratore, Caesar in senatu a Cicerone laudari non potuit. Mirifice vero illa laudatio iis convenit temporibus, quibus in homine nobili ac principe summa laus existimabatur popularitas.

sententia, non Silani, vicit? Nonne is esset, qui nullam poenam nimiam statuisset, crudelior iudicatus? nonne summa visa immanitas, quod in extrema crudelitate omnem misericordiam atque clementiam consul reponendam duxisset? Ad haec quid illud adiiciam, quod orator iudicio suo a ceterorum sententia diiuncto (p. 16, 15) non solum rationibus ipse suis multum obfuit, sed etiam non obscure indicat, aliorum iudicia fore leniora. Verum is, qui gravissima quaeque decernens de reis alios mitius statuturos esse suspicatur eaque re non modo non abducitur a sententia sed vehementius etiam defendit, durum atque crudele saevumque prodit ingenium. Et quam illud alienum, quum quemquam se mitiorem negat? Ad consulis rationes denique quid attinuit, se vehementem in poena profiteri? Quasi illius fuerit, facere senatus consultum ex sua voluntate, non ex senatorum iudicio.

Porro unum est, quod me quidem quodam pacto semper conturbavit; cui loco etsi respondere possim, tamen, si non ab aliis, a me mihi reprehensionem videbam paratam. Acquiescendum enim est interpretatione ea, quam ipse falsam esse pronunciavi. Nec tamen inornatum licet locum relinquere, ne deseruisse eum dedita opera videar. Mihi enim non erat obscurum, quin orator in eo multum nocuerit sibi, quod hominem nescio quem abesse a senatu, ne de coniuratis iudicet, pluribus commemoret eiusque consilio Caesaris gratiam popularem opponat (p. 13). In qua re aut fallor aut dupliciter peccatum est. Primum exempli auctoritas data est, quo immanes mores consulis, qui de suo sensu nullam poenam crudeliorem censebat in coniuratos, certo cognosceretur. Quid? senatus parumne moveri debebat, quo suasioni consulis etiam atque etiam diffideret,

minusque eam esse iustam iudicaret? Alterum vero peccatum est, quod Caesar isti homini opponitur, qui fere eadem culpa tenebatur. Itaque ea commemoratione oratoris prudentia in magnum discrimen adducta est, ex quo ille se expedire, nisi in isto homine nullum patriae amorem esse argumentorum vi demonstraret, non potuit. Adde etiam absurdum et inutile fuisse absentis consilium. Quidni praesens cives servandos censuit, si quidem crudele aut acerbum fuit, in communi patria natos occidere? An necessario illi condemnandi, quia Ciceroni placuit damnatio? Quod quidem si iudicat grammaticus, mirandum non est. Idem etiam de equitibus statuito, qui, si summam ordinis consiliique sui senatui concesserunt, nullo modo ea re animum patriae vere amantem prodiderunt (p. 21, 6).

Revertimur ad orationem, ne plura dicendo, quam satis est, de rebus perspicuis taedium moveamus. Sequuntur ea, quibus consul se, quidquid senatus statuat, facile summo cum studio omnium ordinum exsequi posse non sine verborum iactatione praedicat. Addit non solum equites ad patriam defendendam erectos et excitatos, sed etiam omnia esse a se provisa et constituta; patriam vero tendere supplices manus, commendare senatui tecta, moenia, templa, denique admonere, ut de coniugibus liberisque iudicandum esse omnes cogitent (§. 14 et seqq.).

Nuda et inornata expositio sententias male cohaerere in hac parte orationis docebit. Neque ideo tamen cum oratore expostulabimus, si modo inceptam seriem, ex qua sententiae sequantur, servari videamus. Verum non ita reprehensione libera est oratio, ut nobis possit satisfieri. De ordinum consensu bis lectores duobusque locis docentur

(p. 21, 6 et 30, 2); tum si quis relegat, quae dicta sunt p. 26, ea alibi se legisse facile meminerit.

Praeterea haud scio, an commemorari ea, quae omnes cognorant non secus atque consul, neque ii ignorabant, qui timidas iecisse voces dicuntur, necesse non fuerit. Nonne consulis curam, equitum studium in nominibus dandis, excubias in clivo Capitolino viderant? An soli Ciceroni earum rerum cognitio? Iam alio loco diximus, non potuisse quemquam, si verum licebit existimare, consulis admonitione a metu revocari. Ceterum quae de equitibus dicuntur, inutilia sunt et ementita, de tribunis aerariis non necessaria, de scribis lepida ac faceta, de libertinis non vera, de servis falsa, de coniuratis verissima quidem at supervacua.

Denique si ea probabuntur, quae superiore commentario de consulis officio dicta sunt, probari postrema huius partis verba orationis non possunt (p. 27, 2.). Nemo orationem, nemo vocem consularem ulla de causa recte requisivit. Sed satis esto dictum, quia verendum est, ne plenior fiat disputatio fastidii aut videar lectorum ingeniis diffidere, si de rebus indubitatis longa utar oratione. Quam ob rem pauca commemorasse de peroratione sufficiat. Narrat in ea consul quaedam de periculis suis, de morte, quae sibi, superante improborum civium manu, non acerba futura sit (I), praesertim tantum gloriae adepto, ut nomini suo inter Scipiones, Paulos, Marios, Pompeios locus praebeatur (II. §. 20). Addit scire quidem se, quam diversa sua sors sit ab eorum conditione, qui alienigenas hostes vicerint, sibique instare bellum sempiternum, sperare tamen, fore, ut memoria rerum suarum gestarum profligetur (III). Hanc memoriam deinde in praemii loco deposcit (IV) prostremoque denuo cohortatur senatum ad fortiter iudicandum,

seque profitetur eum, qui omnia, quae senatus decreverit, praestare possit (V). Tametsi hae fere sententiae sunt, in quibus versatur peroratio: tamen, primis verbis lectis, alia exspectantur. Antequam, inquit, ad sententiam redeo, pauca de me dicam. Haec eius verba sunt. Quae vero sententia? Num forte id, de quo relaturum se initio praedicavit? Quod si recte interpretatus sum, postrema verba orationis vix eo vel ne vix quidem referri possunt. Nec tamen video, nisi forte in sole caligo, quid aliud possit intelligi. Tum sententiarum concinnitas neglecto ordine vehementer disturbata est. Nam quae §. 20 sunt, eadem §. 23 ad finem iterantur, et dicta sunt §. 3. Praeterea quum mortem omnibus ait propositam, quid aliud iudicat, nisi quod initio dictum est? Denique memoria rerum suarum gestarum modo tutum se futurum ab hostium iniuriis sperat, modo minus confidit bis de eadem re ita disputans, ut iucunde accidere ad auditorum animos oratio non possit (p. 29, 17 p. 30, 15).

Etsi abundantia aliorum vitiorum, quae a nobis reprehendenda sint, in quavis fere sententia suppeditat, tamen eorum exploratione praetermissa satius fore existimamus, si comparationem orationum, quae non sunt Tullianae, cum quarta oratione, quae habita fertur in causa Catilinae, instituamus. Hoc vero vitium omnium commune est, ut ita personatus Cicero loquatur, quasi tota salus reipublicae civiumque omnium illius periculo in discrimen adducatur, nec quisquam sit, quin eum respiciat, ex illius voluntate atque adeo vultu et nutu pendeat aut ab unius hominis salute salutem communem posse seiungi putet. Senatus non de republica, non de se, sed de Cicerone sollicita cura angitur, totus cum eo facit praeter paucos, quos libenter a bonorum grege excludit. Praeterea personatus Cicero in sui

laude multo impudentior quam verus; multa de liberis, uxore, genero, de amicorum moerore non pauca tradit, plura de sensu suo, nunc audax et sine fine modoque fortis, nunc imbellis pavidusque abiecto animo mortem non recusat. Atque eundem prae se fert oratio Catilinaria Ciceronem, qualem descripsimus; ab ambitiosa sui ostentatione incipit dicere, vicem suam deplorat, senatum salvum fore putat; consuli coniuratorum amici minitantur, senatui hostes coniurati vivi, quibus occisis nemo terribilis; uxor, filia gener, frater lacrimis fatigantur; filius commendatur senatui, si quid patri acciderit, acsi senatus salvus in omnium clade futurus sit.

Praeterea solet commenticius Cicero suas res ac facta iactando summis viris quam maxime aequare vel etiam praeponere. Neque id vitium ab oratione abest. Quis est, qui aequis faventibusque auribus tam gloriose postulantem praemia consulatus gesti tamquam debita tulisset? Nonne multo maius beneficium fuit disceptante senatu populoque Romano demandatus consulatus quam cum laude gestus? Non possum mihi persuadere, ut Ciceronem unquam inter viros clarissimos locum sibi tamquam debitum poposcisse credam. Cato, ut opinor, Caesar, omnes invidi, si istam ostentationem verborum auribus excepissent, pudorem deesse consuli continuo exclamassent.

In commenticiis orationibus Marius, Pompeius, Piso gener semper fere laudantur; si occasio lacrimarum quaeritur, etiam parvulus filius; tum de provincia pro salute civium neglecta, de studiis, triumphis spretis, clientelis comparatis, supplicatione decreta togato pluribus magnifice exponitur. Quibus rebus admonemur, quantum orationi, quae in Catilinam quarta est, tribuendum sit.

Ad hanc orationem proprie id vitium pertinet, quod nulla certa sententia ullius rei ex oratoris verbis nascitur, nec constituitur definitum clareque expressum iudicium, non dicam de coniuratis, de quibus tacere oratorem voluisse viri docti suspicantur, sed de iis rebus, in quibus praecipue versatur orator. Modo omnia pericula repulsa et sublata, modo instant adhuc perniciemque minitantur, neque quidquam ita stabilitur, ut periculorum ultra non liceat meminisse. Itaque vix ullus dubitandi locus relinquitur, quin grammaticorum prudentiae longe similior convenientiorque sit oratio, quam ubertati Ciceronis, a quo, etsi quid sentiret nonnunquam dissimulasse creditur, tamen distincta omnique ex parte explicata sententia semper defenditur. Qualis vero hodie est oratio, si talem in senatu Cato, Caesar, Silanus, Catulus, Luculli praesentes audiissent: si multa a consule attingi nihil absolvi, nulla certa sententia, iudicio, argumento disputari animadvertissent: non minus profecto, nisi me multum fallit opinio, consumpto in auditionem sine ulla utilitate tempore doluissent, quam eos ipsius poenituisset consulis.

DE AMPLIFICATIONIBUS SENTENTIARUM.

Ut in omnibus rebus ardua ac difficilis absolutio et perfectio est, ita inprimis in oratoriis amplificationibus, nec nisi magno multoque labore acquiritur. Acre enim iudicium impetrandum est idque multa acuendum exercitatione, ut in magna variaque copia rerum, quae ad dicendum proponitur, ea, quae praecipue exornanda sint, celeriter subtiliterque discernantur atque distinguantur; alia ita attingantur, ut ceterorum ornamentis serviant. In hac cognitione summa laudis vertitur virtutesque eloquentiae expromuntur.

Atque quis est, qui eas oratoris perfecti virtutes in Ciceronis orationibus non agnoscat, quis qui subtile eius iudicium ullo in loco desideret? quae summa sint, et gravissime dici debeant, ea copiosissime ornamentis idoneis locupletari, eoque properare orationem, quo constituatur causa, refutetur adversarius, muniatur ac defendatur dicentis sententia, reliqua bene quidem exponi, sed obiter tamen. Atque Cicero si, quam in aliis orationibus adhibendam diligentiam censuit, ea privasset orationem, quae contra Catilinam inscribitur quarta, ignavus esset suisque ipse iniquus scriptis orator existimandus. Quoniam vero id minime existi-

mandum est, iam mihi videtur faciendum, ut quanta sit amplificandi similitudo aut dissimilitudo paucis exponam.

De facto, orator inquit, et de poena institui referre (§. 6). Haec eius verba sunt videnturque summam orationis in se comprehendere. Utrumque igitur exornandum fuit. At de poena nihil fere orator, nisi quod expositione inornata atque exili aliarum sententiarum continetur; de facto nonnulla quidem, sed ea, quae nemini satisfaciant. Sequitur sententiarum, quae a Silano et Caesare dictae erant, comparatio. De quibus nonne exspectandum erat, ut subtiliter indicaretur? ut copiosa oratione de difficultatibus, quae obstarent, de temporibus reipublicae, quidque ea postularent, de impedimentis, quibus exsecutio eius, quod senatus statuisset, obstrueretur, aut de facilitate omniumque rerum conditionibus accurate disputaretur? Praeter pauca, quae admodum ieiune disseruntur, nihil orator. Ego vero puto, si hunc locum tractasset Cicero, ita eum nitere: omnibus oratoriis virtutibus, ut nihil posset magis. Verum dicat quispiam, etiamsi non de Caesare, tamen de Silano plura. Si vere existimare vis, ne hoc quidem. At aliqua tamen. Mirum ni ita, sed ea praepostere. Tota enim commendatio Silani eo absolvitur, ut crudelitatis crimen a consule senatuque removeri posse dicat (p. 16, 12). Atque hic totus locus orationis eo est ineptior, quo crebrior confusio disparatarum notionum. Non invenio locum, quo Caesaris et Silani sententiae verbo accusentur et refutentur, aut perspicue, ut intelligi possit, laudentur et suadeantur, idque oratie fiat. Altius quidem assurgit oratio in studiis exponendis equitum Romanorum et ubi de tribunis aerariis, scribis, libertinis, opificibus, servis agitur (p. 23). Quoniam vero non perspicitur, qua illi ratione patriam de-

findant, multaque sunt orationis, quae, ut alio commentario explicavimus, repugnare videantur: sequitur, ut ne haec quidem pars tota iure probari possit. Peroratio denique paene negligitur ab oratore, si quidem eius haec laus est, ut, quae acerrime moveant auditores, in postremum locum coniecta quam ornatissime comprehendantur gravi oratione et constanti eademque quasi in animis strictim figantur. Orator quidem id postulari non ignoravit et utile sibi fore omnino intellexit; et quoniam solent homines vehementissime parvulorum suorum recordatione ad misericordiam excitari, consulem ita facit loquentem, ut, si quid sibi acciderit, filium senatus tutelae commendet.

Quodsi de iis causis, quas persecuti sumus, idoneis ornamentis usum esse oratorem negamus, sequitur, ut ea subtilius exquirantur, quae in oratione, etsi ad causam non pertineant necessario, tamen eiusmodi sint, ut admirationem subtilitate, venustate delectationem, iucunditate voluptatem pariant, ubertate niteant, oratoria arte laudanda sint. Non potest omnis laus eripi oratori; at quae laudanda sunt, ea plerumque, si verae valent rationes rectumque iudicium, turgidiora sunt quam elegantiora, constipata magis et onerata quam ubere grataque simplicitate dicendi splendida et decora. In quo declamatorem licet cognoscas. Amplificantur diligentissime consulis pericula, mortis imminentis metus, tum ille locus, qui est de civibus, de coniugibus, de diis, de penatibus, de tectis ac focis, de templis ac delubris; deinde de atrocitate patrati facinoris; denique de equitum in patriam benevolentia servorumque amore. Quae etsi verborum ornamentis studiose decorantur: tamen multum abhorrent ab eleganti simplicitate illaque singulari venustate, qua Ciceronis orationes excube-

rant. Atque quo id plenius cognoscatur, locos proponamus duos, alterum ex peroratione orationis Catilinariae depromptum, alterum itidem ex peroratione orationis, quae pro Flacco est. „Habetis consulem, inquit (§. 38), ex plurimis insidiis atque ex media morte non ad vitam suam sed ad salutem vestram reservatum: omnes ordines ad conservandam rempublicam mente, voluntate, studio, virtute, voce consentiunt; obsessa facibus et telis impiae coniurationis vobis supplex manus tendit patria communis: vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem et Capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum ignem Vestae perpetuum ac sempiternum, vobis omnia templa deorum ac delubra, vobis muros atque urbis tecta commendat. Praeterea de vestra vita, de coniugum vestrarum ac liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus de focis vestris, hodierno die vobis iudicandum est.“ Quam turgida, quam inflata oratio, quam saepe eadem dicuntur, quam coacervantur omnia, quae congeri commode possint, ut cumulus denique implentur. Nec alia sunt, quae initio orationis exstant, ubi de consulis periculis disputat. In oratione pro Flacco haec sunt (temere vero elegimus locum, quum tantummodo rationem haberemus, ut similem nanciscceremur et talem, qualem magna cura exornatum orator posterorum admirationi reliquisset): O nox illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti! quum Galli ad bellum, Catilina ad urbem, coniurati ad ferrum et flammam vocabantur: quum ego te, Flacce, caelum noctemque contestans, flens flentem obtestabar, quum tuae fidei optimae et spectatissimae salutem urbis et civium commendabam. Tu tum, Flacce, communes exitii nuntios cepisti: tu inclusam in litteris pestem deprehendisti, tua periculorum indicia, tu salutis auxilia

ad me et ad senatum attulisti. Quae tibi tum sunt gratiae a me actae? quae a senatu? quae a bonis omnibus? — — O Nonae illae Decembres, quae me consule fuistis! quem ego diem vere natalem huius urbis aut certe salutarem appellare possum. O nox illa, quam iste est dies consecutus, fausta huic urbi! miserum me, metuo, ne funesta nobis. Haec Cicero; nec opus erit pluribus exemplis. Proferam tamen nonnulla in eo commentario, quo de repetitionibus agetur. Atque sententia, quae est de morte non immatura nec turpi consulis, fulget illa quidem egregie, quoniam Ciceronis est sententia; sed fulget ut gemma in sterquilinio.

Praeterea unum est, quod huic loco commode adiungitur, atque ipsa re postulatur. Exquirendae enim causae sunt, quibus orator adductus in praeposterum illud amplificandi genus inciderit. Neque tam absurdum hominem crediderim, ut qui meliora prorsus nesciverit; corrupta potius est oratio perversa hominum consuetudine iudicioque atque inertia rhetorum. Ut enim frequenter Ciceronem legerint, tamen non eas admirabantur virtutes, quibus maxime illius oratio excellit, subtilitatem argumentandi et comprobandi aut admirabilem in defendenda causa sollertiam. Nam earum rerum usus nullus in eloquentia ex sole in umbram compulsa. Haec terrores ac metus, flammam ac ferrum, pericula atque atrocitatem, caedem ac sanguinem flagitavit; ideoque is omnium praestantissimus iudicabatur, qui in his rebus furiosissime versaretur. Frustra laus, fama, admiratio veris virtutibus quaerebatur. Eodem accedit, quod ita fert inertia rhetorum, ut auditores non solum in omnibus secum idem sentientes sed etiam quamvis fatuos fingant iisque disceptantibus respondeant, quae volunt et quum volunt.

Denique non suis viribus id, quod tuentur, cupiunt obtineri, sed asciscunt ex aliorum scriptis, et quo quis melior, eo plura, quibus sua exornent. Quid mirum igitur, si orator in omni atrocitate versatus disceptatore senatu eoque fatuo, quem eadem sentientem finxit, ad nullam certam sententiam pervenerit? si, quae laudari possint, aliunde asciverit ideoque, quibus sententia Silani aut Caesaris ornari debuerit, ieiuna verborum exilitate sit persecutus? Quippe in his non habuit, quem imitaretur.

Quod dicendi genus maxime probatum est eo tempore, quo intra domesticos parietes laterum potius quam eloquentiae certamina instituebantur. Laudibile studium sunt illi secuti, non quaero; quo honore habiti sint, non modo pares Ciceroni iudicati sed etiam superiores, quis ignorat? Magnam famam Cornelii Frontonis fuisse, si non litterarum memoria at discipulorum, qui Frontoniani sunt nominati, testaretur multitudo; sed est praeterea, qui eum Romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus appellare ausus sit. Neque ulla in re Frontoni sors videbatur obtigisse felicior, quam quod orationes, ex quibus de eius facultate dicendi iudicaretur, interiissent. Quibus repertis multum de eius laude detractum est (Eum. Panegyr. Const. XIV). Statuae positae sunt Mario Victorino et laudes ab Augustino celebratae (de confess. 8, 2). Quantum hodie potest de eo iudicari, ille ut erat a Cicerone alienissimus, ita libri, quos reliquit, obscuritatem dictionis et rusticitatem, mediocritatem ingenii, omniaque vitia, quae deesse bonis oratoribus solent, affatim copioseque prae se ferunt. Gallionis tinnitus olim vehementer reprehensus cum tempore suum quoque laudatorem invenit (dial. de corr. eloq. 26. Sidon. App. epist. 5, 10). Atque Gabinia-

sus a nonnullis Ciceroni longe praelatus permultos nactus est admiratores. Quin etiam Proëresio, sophistae graeco, idem statuarum honos non solum in Graecia sed etiam Romae decretus addito titulo: Regina rerum Roma regi eloquentiae (Eunap. vit. Soph. c. 8). Symmachus autem, ut Prudentius auctor est, omnium summas et infinitas laudes consecutus est multo praestantior Cicerone habitus (Prud. in Symm. I, 633). Quem admirentur licet, quibus studium est moleste potius quam bene loqui. Sed quid horum utor exemplis, quum sit dialogus de causis corruptae eloquentiae, qui det documenta maxime illustria. Nonne eodem perverso iudicio Aper utitur?

Hi omnes, et sunt eorum similes permulti, eloquentiam habuerunt nullam; tumore, loquacitate, inani verborum strepitu sine vi et gravitate excellunt; terroribus et verborum atrocitate implere omnium aures festinant, laudes nimias iactant incredibili impudentia, aut reprehensionibus utuntur immoderatis. Quorum si is, qui orationem quartam Catilinariam composuit, est simillimus, quid dubitamus eum fratribus germanis accensere?

DE REPETITIONIBUS.

Non sum nescius, fuisse hoc commune vitium omnium declamatorum, surripere optimis scriptoribus ea, quae admiratione maxime digna videbantur, et in sua scripta transferre. Cuius ego rei locupletissimum testimonium deprehendi in iis orationibus, quarum supra mentionem feci (p. 104); altera Porcii Latronis, altera incerti scriptoris est. In quibus orationibus nulla fere ornatior sententia, cuius non liceat auctorem Ciceronem citare; ac pleraque ita translata sunt, ut eadem verba manerent. Non esset inutilis labor, expromere ea accuratius et in hoc exemplo explicare grammaticorum consuetudinem; verum reveriti, ne in nimiam magnitudinem excresceret liber, cuiusvis diligentiae comparationem orationum committendam decrevimus. Quae quum ita sint, inprimis magna tamen diligentia adhibenda est, ne iudicium in veris falsisque scriptis internoscendis multum fallatur. Nam apud Ciceronem non pauca in variis locis, frequentissime in epistolis, iisdem paene verbis repetita exstant, multa apud alios scriptores. Quorum maxime memorabile est exemplum, quod Demostheni in orationibus, quae sunt contra Timocratem et Androtionem, quaeque multa habent communia, placuit. Nec pauca sunt, quae

utrobique fere iisdem exponuntur verbis [131]). Multum tamen interest et ad elegantiam orationis et ad dictionis veritatem, discerni accurate inter ea, quae copiosus orator repetat et quae in aliorum liberis sedulo quaesita ieiunus declamator consectetur. In hoc illico admonemur sensu ipso, quae aliena sint, ut in illo non alio sensu docemur, esse propria. Iam igitur videndum est, eae repetitiones sententiarum, quae in oratione quarta Catilinaria deprehendantur, sintne tales, quales magno oratori conveniant, an iis ingenium declamatoris prodatur. Nos quidem, ne quid praetermitteretur, omnes perscripsimus, sicubi levissimae suspiciones detegi possent. Qua in re etiamsi non omnibus probabimus operam, tamen tanto repetitionum numero admonebimur, ut etiam de iis, in quibus minus manifesto apparebat imitatio, aliquid audacius pronunciandum sit.

p. 1, 7: mihi quidem — — pariatur. p. 4, 3: Nunc si hunc exitum — — p. 5, 5: subeatur.

p. 2, 2; Ego sum ille consul etc. cf. pro Murena §. 79 et 82. tum orat. in Cat. II, 1, 1: sicam illam non in campo, non in foro, non in curia, non denique inter domesticos parietes pertimescemus.

p. 4, 1: Ego multa tacui — multa — sanavi. Haec videntur ex oratione II, 8, 17 repetita: Quos ego si ullo modo fieri possit non tam ulcisci studeo, quam sanare.

p. 4, 3: Nunc si hunc exitum — eriperem. Eadem fere sunt in initio orationis tertiae, quae est in Catilinam. Tum vero tecta atque delubra, Vestales, flamma et ferrum, bellum, vastitas Italiae saepissime iterantur.

131) cf. Tuscul. quaest. 1, 15, 35. pro Arch. 11, 26. Wolf. in Schaef. app. ad Dem. III p. 265. Tailori praef. ad Dem. orat. contra Timocr.

p. 5, 5: Si P. Lentulus suum nomen fatale ad perniciem fore putavit etc. orat. 3, 4, 9: eandemque (Lentulum) dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis. Sequitur locus, in quo non opus est proferri repetitionum indicia (p. 5, 9 cf. §. 24.), quae et in hac oratione et in superioribus ubique animadvertuntur.

p. 7, 6: tenentur litterae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio. Nec multo aliter orat. 3, 5, 13: Ac mihi quidem, quum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio.

p. 7, 7: sollicitantur Allobroges, servitia excitantur, Catilina arcessitur. cf. infra §. 13: hic . . . Gallos arcessit, servitia concitat, Catilinam vocat.

p. 8, 2: primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis et mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse coniurationem decrevistis etc. orat. 3, 6, 14: Primum mihi gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea, respublica periculis sit maximis liberata etc.

p. 8, 7: maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis, qui honos togato habitus est ante me nemini. or. 3, 5, 15: Atque etiam supplicatio diis immortalibus . . . meo nomine decreta est, quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit. cf. Phil. 2, 6, 13.

p. 9, 7: nunc, quidquid est, ... statuendum vobis ante noctem est. eadem p. 10, 6: quacunque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est.

p. 12, 3: bona publicare iubet, vitam solam relinquit nefariis hominibus, quam si eripuisset multas uno dolore animi ac corporis et omnes scelerum poenas ademisset.

p. 16, 6: adiungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur.

p. 15, 1: At vero C. Caesar intelligit, legem Semproniam esse de civibus constitutam; qui autem reipublicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse. orat. 1, 11, 28: an leges quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? at numquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium iura tenuerunt.

p. 18, 9: si vehementissimi fuerimus. p. 20, 2.

p. 19, 11: vereamini, censeo, ne in hoc scelere .... aliquid severius statuisse videamini, quum multo sit verendum, ne remissione poenae crudeles — — fuisse videamur. 1. 2, 5: Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum dicat.

p. 20, 13: omnes adsunt omnium ordinum homines ... causa est enim post urbem conditam haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem. p. 26, 11. Habetis omnes ordines, omnes homines, universum populum, id quod in civili causa hodierno die primum videmus, unum atque idem sentientem. orat. I, 1, 1: consensus bonorum omnium. sic enim legendum est.

p. 20, 17: quum sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potius quam soli perire voluerunt. orat. 2, 10, 21: Nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint; aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur.

p. 26, 1: obsessa facibus — patria manus tendit. Haec ab oratore, nisi patriae loquentis cum homine in senatu

exemplum in oratione prima, quae est in Catilinam, habuisset, non essent hoc quidem modo ac forma dicta (7, 17). Tum sequuntur non pauca, quae et aliis locis orationis dicta sunt et in exitu repetuntur.

p. 26, 17: id ne unquam posthac .... confici — possit, ... hodierno die providendum est. orat. 3, 12, 29: id ne vobis diutius faciendum sit ..., providebo.

p. 27, 10: Quae mihi videntur prompta ex orationis tertiae cap. 7, 16. Magis tamen in eam adducor sententiam, ut etiam alius locus, qui est in eadem oratione, ante oculos versatus sit oratori (2, 3): eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam.

p. 27, 11: Quod si aliquando alicuius favore ... manus ista plus valuerit, quam vestra .... dignitas, me tamen meorum factorum numquam poenitebit. orat. 3, 12, 28: Quod si omnis impetus domesticorum hostium depulsus a vobis se in me unum convertit, vobis providendum est, qua conditione eos esse velitis, qui se obtulerint invidiae.

p. 28, 2: ceteris enim semper bene gesta, mihi uni conservata republica gratulationem decrevistis. orat. 3, 6, 15: Quae supplicatio, si cum ceteris conferatur, hoc intersit, quod ceterae bene gesta haec una conservata republica constituta est. — Pleraque omnino ex hac parte orationis tertiae in quartam transierunt.

p. 29, 3: anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. orat. 3, 11, 26: uno tempore duos cives exstitisse, quorum alter fines vestri imperii non terrae sed caeli regionibus terminaret.

p. 29, 9: Quamquam est uno loco conditio melior externae victoriae quam domesticae, quod hostes alienigenae

aut oppressi serviunt aut recepti beneficio se obligatos putant; qui autem ex numero civium hostes esse coeperunt, eos nunquam placere possis . .; quod ego (bellum) vestro bonorumque omnium auxilio memoriaque tantorum periculorum . . . . propulsari posse confido. orat. 3, 12, 27: Sed quoniam earum rerum, quas gessi, non est eadem fortuna atque conditio, quae illorum, qui externa bella gesserunt, quod mihi cum iis vivendum sit, quos vici ac subegi; isti hostes aut interfectos aut oppressos reliquerunt etc. et paulo post: magnum est in bonis praesidium etc. p. 30, 6: Quae quum ita sint, pro imperio, pro exercitu . . . pro his igitur omnibus rebus et pro meis in vos singularibus studiis, nihil a vobis nisi huius temporis totiusque mei consulatus memoriam postulo; quae dum erit in vestris fixa mentibus, tutissimo me muro saeptum esse arbitrabor. orat. 3, 11, 26: Quibus pro tantis rebus, nullum ego a vobis praemium . . . postulo praeterquam huius diei memoriam sempiternam; in animis ego vestris omnes triumphos meos . . . . condi et collocari volo.

Haec ego colligenda censui, non quo non plura, quae et ex aliis orationibus repetita sint et in oratione iterantur, reperiri possint, sed quia sufficiebant quaestioni institutae. Ita poteram plura dicere de virginibus Vestalibus (§. 4 et §. 12); poteram de consensione ordinum (§§. 18, 19, 22); poteram etiam de iis disputare, quae ex oratione, quam Cicero pro Murena dixit et ex altera contra Antonium, deprompta esse viderentur, denique demonstrare, quam esset necessarium, ut is, qui orationem contexuerit, aut eas orationes, quae apud Sallustium sint, Caesaris et Catonis, cognorit, aut Sallustius orationem Catilinariam exscripserit. Quod tamen satius duco uniuscuiusque committi diligentiae.

Semper vero maxime mirandum iudicabam, quod, si exemplo orator utatur, idem exemplum in oratione Philippica secunda reperiatur. Ita L. Caesar in utraque oratione commemoratur, consensus equitum, scribarum industria et nonnulla, quae eiusdem sunt generis. Ut vero ad orationem Catilinariam revertamur, iam mihi dici velim, quae alia sit Ciceronis oratio, in qua oratione, etiamsi non omnia, quae enumeravi, ab omnibus probentur, tanta sit copia repetitionum. Neque difficulter ea poterit augeri ab eo, qui perscrutetur diligentissime orationem. Id autem ab omnibus nulla molestia intelligitur, nullam esse sententiam paulo insigniorem, cuius non possit similis aliis in orationibus reperiri, sive apud Ciceronem quaeras sive apud Sallustium.

DE SENTENTIIS LANGUIDIS.

χαλεπώτατον δὲ λόγῳ δηλωθῆναι καὶ οὐδὲ τοῖς περί τινα εἰπεῖν εὔπορον. Dionys.

Quoniam de repetitionibus dictum est, iam sequitur, ut de sententiis dicatur iis, quae languidiores aut obscuriores aut absurdiores esse videantur. Sunt quidem earum nonnullae, quae possint quodam pacto fortasse defendi; cur enim non, quae tam diu viris doctis probatae fuerint? verum pleraeque, quas significavi, tam contorte sunt compositae, tam longe arcessitae, tam frigide enarratae, tam parum aptae et commodae, ut paucos fore existimem acri iudicio praeditos, quibus eae placere possint.

Primum censeo inepte esse dicta ea ipsa, quae initio sunt orationis. Est mihi, ait, iucunda in malis et grata in dolore vestra erga me voluntas. In quibus verba *in malis* et *in dolore* vix digna sunt Ciceronis ingenio atque arte, ut ea non sunt, quae paulo post: si haec conditio data est, ut omnes *acerbitates dolores cruciatusque* perferrem. Quod sequitur: dummodo meis laboribus vobis populoque Romano dignitas salusque pariatur: non intelligitur, cur dignitatis fiat mentio ab oratore. Porro vix puto inveniri,

cui placeant (p. 5, 17): Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi . . . . mocrore non movear horumque omnium lacrimis, quibus me circumsessum videtis. Deinde (p. 6, 5): parvulus filius, quem mihi videtur amplecti resp. tamquam obsidem consulatus mei: quae contorte atque obscure dicuntur. Tum (p. 9, 3): Illa praedicam, quae sunt consulis. Ego magnum in republica versari furorem . . . . iam pridem videbam, sed hanc tantam tam exitiosam haberi coniurationem a civibus nunquam putavi. Nunc, quidquid est, quocunque vestrae se mentes inclinant atque sententiae, statuendum vobis ante noctem est. Quantum facinus ad vos delatum sit videtis. Haec ita orator; reliqua, quae sequuntur, eiusdem formae colorisque sunt. Quae qui a Cicerone ita putet potuisse dici, sane multum abest a perceptione masculae elegantiae robustaeque eloquentiae Tullianae. Ac si alio loco orator (p. 12, 5): vitam, ait, si eripuisset, uno dolore animi ac corporis et omnes scelerum poenas ademisset: haec si ait orator, sententia non est ita defendenda, quod Graevius elegantius scripserit eam exornare. Videndum fuit, quid scripsisset orator: is vero procul dubio posuit ea, quae optimorum librorum subsidio nixi nos restituimus (cf. p. 16, 6). Neque ea videntur laude digna, quae traduntur continuo de poenis mortuorum. Misere enim languet sententia. Atque nescio quomodo haesi mirifice semper haec legens (p. 15, 5): Caesar, inquit, ipsum Lentulum, largitorem et prodigum, non putat, quum de pernicie populi Romani et exitio huius urbis tam acerbe tamque crudeliter cogitarit, etiam appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris mandare. Et sic porro loquitur orator. Etsi profitendum est, non esse perspectam a me vim sententiae,

tamen hoc sentio, multum a Ciceroniana dictione et facultate discrepare complexionem istam verborum. Nec magis placere possunt (p. 16, 11): si Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defendetis atque obtinebo, eam multo leniorem fuisse. Quamquam quae potest esse in tanti sceleris immanitate puniendа crudelitas. Ego enim de meo sensu iudico. Nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac causa sum vehementior, non atrocitate animi moveor (quis enim est me mitior?), sed singulari quadam humanitate et misericordia. Mira profecto haec oratoris sententia. Sed iam mihi volo dicat aliquis, quae magis hiet verborum comprehensio, aut quae possint ieiunius dici? qui tractus verborum! nulla certa et exornata sententia, omnia onerata magis quam more oratorio exposita. Addam his ea, quae mox insequuntur (p. 17, 6): vexationem virginum Vestalium perhorresco. Et quia mihi vehementer haec videntur *misera* atque *miseranda*, idcireo in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebebo. Etenim quaero, si quis paterfamilias liberis suis *a servo* interfectis, uxore occisa, incensa domo supplicium *de servis* quam acerbissimum sumpserit, utrum is clemens ac misericors an humanissimus et crudelissimus esse videatur? mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit. Manifesto ostendunt librariorum conatus corrigendi, in verbis esse aliquid, quod probari non possit. Et tamen ita scriptum est a declamatore. Postea (p. 20, 15): Causa est haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem praeter eos, qui quum sibi viderent pereundum, cum omnibus potius quam soli perire voluerunt. Haec sententia valde claudicat. Quid

aliud dicit orator nisi hoc: in hac causa omnes idem sentiunt praeter eos, qui non idem sentiunt. Quoniam vero haec pars disputationis in uniuscuiusque sensu atque elegantia versatur, ut quisque, quod sibi placeat, possit statuere, satis habebo indicasse, quae animadversione digna iudico. Sunt autem haec p. 13, 2 et 6. p. 16, 19. p. 19, 11. p. 24, 3. p. 26, 7 et 14. p. 27, 1. p. 28, 16. Quibus lectis perpensisque, ut par est, mentis acumine diligentius et collatis iis, quae vera Ciceronis sint, quis est, qui non miretur, quomodo oratio tam absurda et inficeta, tam languida et manca, tam dehiscens et in se paene corruens tam diu potuerit oratori vindicari, qui omnium sententia maximus et praestantissimus et ingeniosissimus omnibus saeculis sit iudicatus.

DE SERMONE VERBISQUE ORATIONIS.

Alia lingua psittacus alia coturnix loquitur.

De Plauti fabulis quum veteres olim disceptarent, quae verae essent, quae falsae, iudicii plurimum solebant in elegantia dictionis habere. Ac si haec ratio verissima dicitur magistra merito in eo, cuius aures pulchris venustisque sententiis multa lectione assiduaque assuetae minima quaque discrepantia moventur: tamen est etiam, ubi fallatur. Minus tamen in bonis quam in malis scriptis aditur periculi. Licet enim non solus Plautus optimas fecerit fabulas, tamen virtutes singulares sunt planeque Plautinae nec ulli imitabiles: itaque non solum facile agnoscuntur, verum etiam ab aliis virtutibus nullo negotio discerni possunt. Et ipsa vitia sunt peculiaria minimeque vulgaria, ut etiam in his bonum scriptorem non difficilius deprehendas.

Fatendum est igitur, magnorum virorum scripta natura sua satis distingui ac notari, ut facile iudicetur, cuius ingenii felicitate nata sint atque in lucem edita. Sic nos hodie, si forte nova fabula reperiatur graeca, sitne ea Aeschylo an Sophocli an Euripidi tribuenda, nullo negotio inveniamus. Verum quae tandem signa erunt, quibus minus bonorum scriptorum opera cognoscantur? Nam ideo

minus boni iudicantur, quod eorum scripta non sunt suis virtutibus ac luminibus aut etiam insignibus vitiis conspicua et notata, multa ab aliis assumpta, multa communia cum pessimis quibusque. Atque quis dubitat, quin haec res in latinis scriptis plurimis oppleatur difficultatibus, quia grammatici plerique se ita ad Ciceronis orationem applicuerunt, ut non raro aurea similitudine quadam Tulliana iucunde moveantur.

Quare orationis, quae est quarta in Catilinam, cognitio esset facillima, si eximii ingenii vestigia proderet minusque multa et foeda vitia haberet. Nunc habet illa quidem verba Ciceroniana: virtutes quia non habet, incertum fit iudicium detrahiturque iudicanti regula, ad quam dirigat sententiam. Nascitur praeterea nova difficultas, quod, si non sit Ciceronis oratio, non reperitur alia oratio, cuius similitudinem prae se ferat.

Magna vero discrepantia a veris orationibus Ciceronis animadverti in dictione, formis, constructione potest. Non est illa adstricta verbis oratio, densa sententiis, illustrata luminibus, ornata verborum delectu, valde propria etiam in iis quae assumpta sunt, summa recti perceptione, eximia pravi depulsione, quarum virtutum beata copia nitent Tullianae. Quod in oratione emineat, sententia illa de morte non immatura consularis, quivis primo conspectu animadvertit: in Cicerone quid emineat ideo difficile est dictu, quia eminent omnia. Multa vero fluxa dilabi videntur; alia sine vi proferuntur, pleraque contorte dicuntur sine iucunditate et voluptate et delectatione. Deest viva et quasi oculis subiecta contentio oratoris, deficit dictio; tolle sententias, locos; nemo desiderabit. Sed ne longiores simus, iam propius accedamus ad ipsam illam discrepantiam de-

signemusque ea, in quibus dissimilitudo appareat, etsi multa uniuscuiusque iudicio, quia facilius sentiri quam exponi possunt, committenda censemus.

Primum non est Ciceronis, nomine non compellare eum, contra quem disputat. At neque Silanum neque Caesarem orator alloquitur. Quod ne Sallustius quidem neglexit in iis orationibus, quas Caesari et Catoni tribuit. Plus Cicero sibi indulsit etiam absentes compellans, ut docet oratio, quae inscribitur de provinciis consularibus. Huic rei adde aliam rem non multo dissimilem. Cicero enim coram iudicibus aut in senatu disputans patres conscriptos aut iudices raro appellat; multo crebrius in concionibus Quirites. Quod plane haustum ex natura utriusque generis dicendi. Iam attende orationem quartam Catilinariam. Potuitne frequentius nomine patrum conscriptorum uti? Profecto tam saepe hos compellat, ut hac in re tota oratio permultum abhorreat ab illius consuetudine.

Elegantiam orator non mediocri studio consectatur, sed eam, quae non potest recte nominari elegantia. Nonnulla supra persecuta est disputatio, ut de lege Sempronia poenisque, quas ex sua lege dederit lator eiusdem legis (p. 114), tum de summa ordinis equestris consiliique. Huc referam diligentiam, quam ad augendam vim orationis adhibuit orator, ut ea, quae ante tantummodo significarit, novis verbis postea explicaret uberius, id est, ut pluribus nominibus idem diceret (p. 22). Ita dictum est (p. 3, 3): haec sedes honoris, sella curulis; et (p. 20, 15): pleni aditus huius templi ac loci. Quod ne ita defendas, ut loci constituendi causa fecimus, quod eadem verborum complexione utitur Cicero in oratione, qua oppugnat Vatinium. Nam non eadem est utriusque loci conditio. Eodem pertinet

illud (p. 9, 8): mentes atque sententiae. Aliud addam exemplum eiusdem vitii (p. 24, 10): est id quidem coeptum atque tentatum, sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellae atque operis et quaestus quotidiani locum, qui non cubile ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitae suae salvum esse velint. Similiores orationi Tullianae parvulae quaedam sententiae videntur interpositae enuntiationibus ita, ut rotundior fiat oratio absolutiorque. Misere tamen languent. Duo exempla exhibeo; primum est (p. 27, 8): Ego quanta manus est coniuratorum, *quam videtis esse permagnam*, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video. Alterum (p. 29, 18): memoria non modo in hoc populo, *qui servatus est*, sed etiam in omnium gentium mentibus haerebit.

Neque ultra processisse oratoris affectatio elegantis sermonis videtur, si quidem multa negligentiae vestigia apparent. Ita ingrata verborum complexio iisdem litteris clausorum (p. 4, 2), ut: *multa meo quodam dolore in vestro timore sanavi;* vel verborum eorundem repetitio (p. 1, 2 et 4), quemadmodum dixit primo loco *esse conversos;* altero statim post *esse sollicitos.* Ac si quis est, qui exemplo bonorum scriptorum collocationem defendat, is id quoque velim attendat, ab his verbis capi principium dicendi. Et alia parte orationis (p. 18, 15 et 17): Vita, inquit, privandum esse dixit, quum avum — — in carcere necatum esse dixit. Ingratam praeterea iudico orationem bis iisdem vocibus incipientem, quemadmodum scriptum invenitur (p. 25, 12. 26, 10): habetis consulem; et paulo post: habetis ducem. Est hoc quidem elegantiae cuiusdam genus, sed nescio quomodo languet sententia.

Reliqua huius generis non necesse est persequi, quia alia sunt eaque graviora, quae debent tractari; loquor enim de constantia, quae requiritur in temporum notationibus. Ita (p. 25, 7): quorum, inquit, si quaestus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum fuit. Declarat scripturae varietas, quid sit in verbis incommodi; vere tamen ita scribi alius ostendit locus in hunc modum compositus (p. 16, 12): atque obtinebo, ait, eam multo leniorem fuisse. Immo esse. A quibus non multum discrepant, quae alio loco codicis Erfurtensis defendendi causa in explicatione posui (p. 17); ea vero non puto repetenda.

Venimus ad ultimum locum, quantum generatim atque universe de sermonis proprietate disputari potest, coniunctionem verborum atque sententiarum. Sed hic multum accusandus orator. Minime vincta eius est oratio sententiis aut ita comprehensa, ut arcte cohaereant omnia nec nisi magno dictionis detrimento divellantur. Coacervatae magis sunt sententiae quam coniunctae, interdum leviter verbis copulatae, nullo tamen naturali vinculo atque compage. Quod in exemplo perspicitur certius (p. 11, 1): Alter intelligit, inquit, mortem .... quietem esse; itaque eam sapientes nunquam inviti, fortes saepe etiam libenter oppetiverunt; vincula vero et ea sempiterna certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt. Municipiis dispertiri iubet. Habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis, difficultatem, si rogare; decernatur tamen, si placet; ego enim suscipiam, et, ut spero, reperiam, qui .... non putet esse suae dignitatis recusare. Adiungit gravem poenam municipiis. Quam haec licet oratio, quivis intelligit. Fuerunt, qui verba: *eam sapientes — inventa sunt* tollerent; utinam plura sustulissent, ut haec manerent sola:

alter itelligit, mortem . . . . quietem esse; itaque municipiis dispertiri iubet. Adiungit gravem poenam municipiis.

Alia huius generis exempla attigimus in disputatione de inventione orationis, tanta vero copia est, ut, si quis vitia velit omnia nominatim reprehendere, totam fere orationem reprehendat necesse sit. Modo legat, quae sint initio (p. 8 — 10). Nos vero unum locum reliquis addemus (p. 29, 15). Quare, ait, mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum video; quod ego . . . . memoria tantorum periculorum, quae in hoc populo . . . . . semper haerebit, a me atque a meis facile propulsari posse confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur, quae coniunctionem vestram equitumque Romanorum et tantam conspirationem bonorum omnium perfringere et labefactare possit. Haec ita orator. Saepenumero solebam mirari, quod nemo adhuc inventus esset, qui postremam sententiam de coniunctione equitum eiiciendam ex oratione censeret, sinistre sane coagmentatam cum verbis prioribus, ut merito inertia et inscitia eius, qui in hunc modum perperam contexuerit orationem, debeat accusari.

Nec potest in his vitiis consistere accusatio. Apertius ea ipsa patent ad reprehendendum, in quibus ut negligentiae contegendae remedia ita arctior sententiarum complexio quaeritur. Quod factum est usurpatis vocabulis *itaque, quare, etenim, quapropter*, iisque ita, ut vix semel laudaveris. Attende igitur, quid dici possit obtusius (p. 12, 3 — 10). Bona, inquit, praeterea publicari iubet, vitam solam reliquit . . . ., quam si eripuisset, multas uno dolore . . . . poenas ademisset. Itaque ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt,

quod videlicet intelligebant his remotis non esse mortem ipsam pertimescendam. Haec ille. Sane *itaque* non convenit, quia ratio nec constat nec subtiliter concluditur. Nec minus digna reprehensione ea videntur, quae insequuntur (p. 15, 5 et sepp.): Caesar ipsum Lentulum, largitorem et prodigum, non putat, quum de pernicie populi Romani .... crudeliter cogitarit, etiam appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus .... non dubitat Lentulum aeternis tenebris .... mandare et sancit in posterum etc. Amplificatione detracta mira nascitur insolentia sententiae. Caesar, inquit, Lentulum, quia popularis appellari non potest, aeternis tenebris mandare non dubitat. Iisdem vitiis orator implicatur in vocabulo *quare* (p. 6, 7). Moveor, ait, his rebus omnibus, sed .. ut salvi sint vobiscum omnes potius, quam et illi et nos .. pereamus. Quare, P. C., incumbite ad salutem reipublicae. Atque alio loco idem (p. 30, 17): Quod si meam spem vis improborum fefellerit ..., commendo vobis .. filium, cui satis erit praesidii .., si eius, qui haec .. conservaverit, illum esse filium memineritis. Quapropter de summa salute vestra ... decernite diligenter et fortiter. Ita quidem rhetor. Cuius ex verbis si, quod recte et ratione concluditur, subtilius eruitur, sequitur, ut, quia consul filium commendaverit, senatui sit fortiter decernendum de salute sua. Opus vero est longa oratione, si velim omnia vitia persequi disputatione. Satis habebo breviter indicasse, quae patent (p. 5, 5 et 9. p. 6, 10. p. 11, 3. p. 16, 9. p. 27, 14 recte vero apteque p. 29, 15, denique adde p. 16, 12).

Ceterum orator in sententiis iungendis copulandisque diligenter non elaboravit, si quidem vestigia inveniuntur, quibus videtur noluisse sententias, quum facile posset,

arctius comprehendere. Quod declaratur his verbis (p. 8, 1): Haec . . indices detulerunt . . , vos multis iudiciis iudicastis, primum quod mihi gratias egistis . . , deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret praetura, coegistis, tum . . quod eum . . in custodiam dandos censuistis . . . ; postremo hesterno die praemia dedistis amplissima. Praebuit locus viris doctis dubitandi de integritate verborum materiem aliis corrupti quid in eo latere ratis, aliis negligenter locutum oratorem accusantibus. Minime vero alterutra sententia vera est; nam a verbo *postremo* interciditur verborum continuatio. Quod genus si non probatur apud Ciceronem: ideone alienum est a declamatore? Affine vitium est, quod nonnunquam verba nimio intervallo dirimuntur (ut p. 20, 11. *maiore . . . voluntate* et p. 24, 5 *tantum . . . voluntatis*); quamquam non deest auctoritas Ciceronis, tamen ab eo rara suppeditantur exempla, plura iis orationibus, quarum de origine dubitatur (pro Arch. 6, 13). Praeterea sententias frequenter connecti verbo *nunc* usurpato (p. 4, 3. 9, 7. 12, 11. 27, 6) observavi.

Quoniam de sermone satis dictum est, verba consideremus. Quorum tria constitui genera possunt animadversione digna, primum, quae raro apud Ciceronem inveniantur, alterum, quae alia significatione alioque usu, tertium, quae nunquam; neque vero ego haec genera disputatione discrevi satius arbitratus partim coniungi, quae haberent aliquam affinitatem, partim retineri ordinem orationis. Primum dicam de pronomine. In quo admodum singularis est usus Ciceronis isque firmus ac perelegans. Ab eo vero multum recessit oratio Catilinaria. Cicero enim non utitur pronomine *hic* coniuncto cum nomine hominis, nisi eundem hominem adstare in corona videat possitque manu nutuque

ostendere auditoribus, denique nisi is est, quem possit honorifice nominare (cf. Ferrat. ep. p. 259); rhetor vero iste quoties praebetur utendi copia nec solum in absentibus, verum etiam quos contra veniat contemptimque nominet, ut (p. 17, 4): purpuratum esse *hunc Gabinium*, vel (p. 16, 4): *ne quis huius supplicio* et (p. 18, 4); *in his hominibus*, tum (p. 19, 4): *huius avus Lentuli*, denique (p. 29, 18): *in hoc populo*, etsi hoc fero facilius. Horum nemo adfuit in corona ideoque non potuit monstrari quasi manu auditoribus. Ac si negamus ullam fuisse cognitionem pronominis in rhetore, minime iniusta videbitur accusatio ex iis documentis, quae ipse de se dedit. Nec enim recte scivit *hicce* usurpare, id quod hoc exemplo cognoscitur (p. 23, 12): *sed quid ego huiusce ordinis homines commemoro*. Quibus Cicero verbis, nisi senatum, neminem potuit indicare; itaque pronomen non procedit. Porro vehementer erravit idem rhetor in vocabulo *iste*. *Video*, inquit, *de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem*. Quod qui dixit in senatu, non significavit alios auditoribus, nisi eos, quos aspexit ideoque nonnullos idem sentire arguit. Profecto nunquam Cicero ita ausus esset loqui. Atque in voce *ille* simili ratione a consuetudine Tulliana deflexit oratio. *Neque tamen*, ait, *ego sum ille ferreus* (p. 5, 17). Quibus lectis Ernestius negavit frequentem inveniri hunc usum pronominis. Plerumque sane *tam ferreus*. Sed quod Ernestius exemplum desideravit, ipsa oratio praebet. *Ego sum*, inquit rhetor (p. 2, 2), *ille consul;* ubi nisi *eiusmodi, talem consulem* interpretaris, arrogantior nascitur sententia. Quodsi vocabula *hic*, *hicce*, *iste*, *ille* perperam usurpantur, quis mirabitur errari in eo quoque pronomine,

quod ex hoc genere solum relinquitur. *Si eritis*, haec enim verba orationis sunt, *secuti sententiam C. Caesaris, quoniam hanc is viam . . . secutus est* etc. Parum honorifica haec est oratio nec valde verecunda. Cicero delevisset pronomen aut commodiore esset usus. Quocirca vix posse emendationem Lambinianam puto probari in oratione pro Milone (36, 99).

Porro (p. 1, 4) *est mihi*, ait, *grata vestra voluntas, sed eam deponite.* Numquam hac negligentia Cicero locutus esset, si minus propter verba, tamen ne ambigua foret oratio. Ille procul dubio: *sed hanc sollicitudinem deponite.* Deinde (p. 2, 3): *non forum, in quo omnis aequitas continetur.* Explicavi alio loco, quid sit de praepositione *in* statuendum; iam accipe exempla. Ac primum quidem Cicero pro Sestio (42, 92): *ius valeat necesse est, id est, iudicia, quibus omne ius continetur*; deinde idem Cicero pro Cluentio (30, 81): *postremo*, inquit, *in eum casum veneram, ut omnis mearum fortunarum status unius iudicii periculo contineretur.* Postea (p. 5, 5) si ita orator pergit; *si P. Lentulus suum nomen . . . fatale ad perniciem reip. fore putavit, cur non laeter meum consulatum ad salutem reip. prope fatalem exstitisse* non habeo auctoritatem, qua muniam verba *fatale ad aliquid*, nisi (attende quam gravem) orationem tertiam Catilinariam (4, 9. cf. p. 148). Statim haec verba sequuntur (p. 5, 12): *mihi parcere desinite*; desideratur similiter expressum exemplum eiusdem dictionis vel saltem pronominis. Nam parcimus iis, quibus, quum possumus, iniuriam non inferamus; neque vero usurpatur verbum de eo, qui a rebus gerendis revocetur. Sed hoc leve est, gravius illud. Multum

enim quum dubitarem de usu verborum, quae illis non ita magno intervallo succedunt, ubi dicit orator *debeo sperare omnes deos . . pro eo ac mereor relaturos esse gratiam*, ecce locus epistolae suppeditatur (ad div. 4, 5): *Sane quam pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli.* Magnum sane testimonium, si est Ciceronis. Sed non est id. Servii Sulpicii sunt litterae. Praeterea adde iis, quae modo recitavimus ex oratione, reliqua *deinde si quid obtigerit.* Insolens est dictio, quia obtingere dicitur, quando exspectatur, quae cui sors obveniat; de casu aut secundo aut adverso aliis verbis utendum est. Interpretum vero fere nemo fuit, qui locum non tractasset; nemo autem exemplo usum verbi munivit, satisque habuerunt *illi* laudasse exempla, quibus *accidit* firmaretur. Committenda vero haec sunt uniuscuiusque diligentiae; itaque iam id quod venit deinceps in iudicium consideremus, quale sit. Vix enim dubitari potest, quin (p. 7, 5) in his *ad Catilinam accipiendum* Cicero *recipiendum* scripsisset, id quod in codice Oxoniensi correxit librarius. Neque agnosco consuetudinem Tullianam in iis, quae alio loco exstant (p. 8, 1): *haec omnia indices detulerunt.* Indicis non est rem deferre, sed accusatoris; ille indicat vel docet eos, a quibus rogatur. Si post abolitam libertatem dominatu imperatorum index idem delator fuit isque accusator, mirum non est, rebus mutatis mutari notiones verborum. Ac nescio, quo iure (p. 8, 1) coniurati dicantur rei. Ego quidem exemplum secutus item reos appellavi recteque factum est, si placet, quod Cicero scribit, reos appellari non eos modo, qui arguantur, sed omnes, quorum de re disceptetur. At vox in consuetudine loquendi fortasse minus late patuit, ut Asconius docet et Festus et Cicero ipse auctor

citari potest. De sociis coniurationis destituor et aliorum et Sallustii auctoritate, ut satis manifesto appareat, quid affirmandum sit, praesertim ubi declamator paene (quo enim alio nomine in causa constituenda illos appellet) ipse se prodat. Verum ut dixi, ego nescio. Accedunt deinde continuo haec (p. 8, 2): *vos multis iudiciis iudicastis*, quae ut incommode sonant, ita videntur bonorum scriptorum sententia et auctoritate non probari. Mihi quidem deerat similis locus, in quo fuisset *iudiciis iudicare* [132]). Eodem pertinet id, de quo supra egimus collectis exemplis (p. 8), quibus particula *ut* excipit verbum cogendi. Addi pauca possunt (ad Herenn. 2, 7, 10. pro Rabir. 1, 2), ut appareat, non posse quidem complexionem vocum reprehendi, at inveniri admodum raro. Sequitur ex modico intervallo (p. 9, 3): *Illa praedicam, quae sunt consulis*, plane aliter ac solet Cicero loqui. Hic enim *praedicere* non ascivit in sermonem, nisi praecipiendi aut serio monendi aut divinandi notione, nunquam praefandi, quae verbi significatio Plinio, Velleio Paterculo, Tacito, aliis placuit. Quod proximum est (p. 9, 6): *hanc tantam tam exitiosam haberi coniurationem a civibus nunquam putavi* satis habui notare, quae displicerent. Adiice (p. 9, 7): *Nunc quidquid est, quocunque vestrae se mentes inclinant.* Frustra operam dedi, ut priorum verborum auctoritatem investigarem; in reliquis animadverti a Cicerone plerumque *se* omitti, addi a Livio aliisque. Iam venit in iudicium ratio loquendi, quae saepe me non mediocriter sollicitavit. *Id opprimi*, ait (p. 10, 5), *sustentando ac prolatando nullo pacto*

132) Negat Wunderus (Lect. cod. Erf. p. (XL) dici solitum a Romanis *ferre iudicium*. vid. in tog. cand. fr. 15.

potest. Alterum verbum *sustentando* Tullianis exemplis (ad div. 13, 64. ad Q. fr. 2, 7) defendi solet, etsi exemplorum diversa natura attentius considerantem non fugiet; alterum vero *prolatando* apud Ciceronem frustra quaeritur. Quo loco mihi usu venit, quod me valde in hoc labore relevavit; expertus enim sum, nullam rem esse tam ingratam atque taedii plenam et laboris, ut non habeat una aliquid prosperitatis. Quis enim dubitabit, quin haec disputatio habeat incommoda plurima atque molestias? Sed ea omnia, quamvis spinosa sint, prospero eventu compensantur. Itaque quoties voculam aliquam non inventam apud Ciceronem in libris Sallustii, Livii, Taciti deprehendi, bene sentire de labore meo incipiebam non invita Minerva susceptum ratus. Idque in voce *prolatandi* mihi contigit. Huc accedit alius locus (p. 10, 12): *uterque pro sui dignitate et rerum magnitudine;* eleganter quidem, verum aptius ei saeculo, quo graeci sermonis formulae dicendi in linguam latinam frequentius invaserunt; itaque Tacitus (2, 3): *fruitur fama sui* (cf. ad Att. p. 222 edit. Orell. suam famam) idemque alio loco annalium (15, 49). Consuetudo Tulliana non fert id genus loquendi; orator autem in verbis *sui* et *rerum* elegantiam secutus est, qua satis defenditur vox *sui* ab iis, qui *sua* scribendum putarunt. Porro *in severitate versatur:* non habeo eiusdem complexionis exemplum, id est, eorundem verborum, quamquam permulta affinia.

Iam exhibui gravissima crimina orationis; exhibebo graviora. Primo quum ait (p. 10, 17) *improbos quosque cives,* quis non videt, quanto intervallo sermo a proprietate linguae latinae discesserit. Sic ne Tacitus quidem loqueretur mirificus construendorum verborum novator. At

vero quid haec conqueror, quum magis etiam a consuetudine abhorreant, quae paulo post leguntur. *Caesar*, inquit, *digna scelere sancit* eodemque modo infra (16, 4). Haec valde imperite dicta sunt. Nam si senatus proprie nihil sancit, quanto minus privatus, qui in senatu sententiam explicat. Iam vide, quantam vim habeant temporum vicissitudines, quibus etiam firmissima consuetudo praeceps agitur. Ut enim in libertate nihil sanciebatur nisi populi suffragiis, ita in servitute eo gliscebat adulatio, ut, quodcunque Caesares edixerunt, eo nomine significaretur (cf. pro Planc. §. 44 ibique interpr.). Nec tacebo de vocibus, quae insequuntur proxime (12, 5) *ac corporis* rarissimo litterarum concursu *ac c* apud Ciceronem eodemque temperato certis legibus, plerumque ab antiquis libris repudiato. Alii scriptores usum non improbant; exemplum alterum oratio exhibet (p. 18, 3). Sequitur (p. 12, 6) *ut formido esset posita;* minime laudanda sententia. *Formidinem ponere* nemo dixit; *opponere* Cicero (pro Quint. 14) ex usu venatorum. Tum nescio, cur dicatur (12, 7) *eiusmodi*. Utcunque explicatur, non erit Tulliana sententia, ut ea quoque non sunt Tulliana, quae proxime accedunt (p. 12, 8). Praeterea *cognitor* (12, 14) ita dicitur, ut usitata nominis significatio nulla conveniat. Quocirca commodum fuit interpretibus, novam excogitare. Sed si haec utcunque excusari possint, ut non possunt, quid iudicabo de vocabulo *amplius*, quod semel a Caesare, semel a Plauto, nunquam a Cicerone cum genitivo coniungitur. Orator tamen *amplius negotii* dixit (p. 12, 16). Quod grave testimonium est in tam usitato vocabulo. Plauti verba digna sunt, quae describantur (Cist. 5, 4): gaudeo tibi mea opera liberorum esse amplius.

Atque Caesar haec (B. G. 6, 9): si amplius obsidium (al. obsidum) velit, dare pollicentur. Quibus accedant Lucretii versus emendati a viris doctis in hunc modum (3, 954): quur amplius addere quaeris, rursum quod pereat, mali, et ingratum occidat omne. Veteres libri *male* habent. Emendatio autem eo minus placet, quod ne A. Marchettus quidem, interpres Lucretii Italus, gnarissimus proprietatis Lucretianae vitii quidquam subesse in antiqua scriptura suspicatus est (p. 149 ed. Flor.). Redeamus vero ad orationem. Cui etsi (p. 13) suasu omnium librorum veterum hanc restituimus sententiam *Meorum periculorum rationes utilitas reipublicae vindicat*, non ideo Tullianam esse putavimus. Omnino *vindicat* non optime cum reliquis conciliatur. Pergit orator (13, 2). *Habemus enim a Caesare*, ubi non reprehenditur negligentia verborum *a Caesare*; alius tamen *Habemus autem* haud dubie scripsisset. Tum (p. 13, 5) *Intellectum est, quid intersit inter levitatem concionatorum et animum vere popularem.* In nomine *concionatorum* duo sunt, quae accusantur. Primum in tota latinitate auctoritas verbi non reperitur, deinde in malam partem accipitur, id quod abhorret a tempore Ciceronis. Honesta enim res atque valde necessaria in invidiam vocari non potuit; potuit sane, quum desiit honesta haberi. Imperatorum dominatu contigit, ut, quia libertas loquendi tyrannis displicet, paulatim opinione hominum concio non multum a seditione distingueretur. Itaque invidiosa significatio verbo nata est. Iam sequitur (p. 13, 6). *Video abesse non neminem, ne . . . sententiam ferat. Is nudius tertius in custodiam cives R. dedit. Non nemo* et *is* hoc loco ab ea parte probantur, quae a latinitate spernitur, ut supra (p. 13) demonstratum est.

Quod proximum est (14, 4) *Qui quaesitori gratulationem decrevit*, iam pridem dedit dubitandi materiam viris doctis. Quaesitoris nomen non convenit Ciceroni neque exercenti iudicium publicum aut quaestionem neque ad id negotium creato a populo. Omnino ne iudicium quidem, in quo de coniuratis iudicaretur, coactum est.

Cicero utens voce *immanitatis* diritatem morum et inhumanitem indicat, non magnitudinem. Neque enim huc pertinet locus orationis, quae est pro Caelio (c. 6), quo in loco vox vim suam minime exuit. Quod Cicero respuit, id Plinio maiori illi, rhetori, aliis placuit (p. 16, 14). Hic vero ne vitavit quidem iactationem quandam verborum, ut illud est (p. 16, 18) *Moveor singulari quadam humanitate* et (p. 30, 12) *pro meis in vos singularibus studiis*. Deinde nescio, quo iure verba (p. 17, 7) *Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi* laudari possint; id vero sentio aliena esse a Cicerone, quae dixit alio loco declamator *Misera atque miseranda*, qui lusus litterarum praeclare cadit in grammaticorum sapientiam. Quis vero est, qui in senatu verba *in cinere deflagrati imperii* tulerit? Qui cascorum illorum atque barbatorum esset sermo aut poeticae audaciae, quemadmodum locutus est Ennius apud Ciceronem (Tusc. 3, 19, 44): *Fana flamma deflagrata*. Contrario vitio laborat oratio, si *electissima femina* (p. 18, 14) nominatur, quae Ciceroni est *lectissima*, quamquam haec vox, ut illa prior post aetatem Ciceronis praeferebatur, in innumerabiles corruptelas incidit. Quod alii correxerunt, id scripsit declamator insolentium verborum affectatione abreptus. Ac perspicue alius locus nulla me contumelia impulsum iudicasse declarat, quo in loco si lenissime statuas quatuor minimum vitia reperiun-

tur (p. 19, 11): *Vereamini*, ait, *censeo*, *ne in hoc scelere nefando nimis aliquid severius statuisse videamini*. Verbum *vereamini* ab antiquissimis temporibus offensioni fuit viris doctis certatim corrigentibus, neque minus saepe nostra memoria *censeo* tentaverunt. Tutabantur alii Sallustii auctoritate. Cuius exemplo quid refert verba firmari? Satis valet ad damnandum, si quid est eiusmodi, ut M. Tullii testimonio non servetur. Primum igitur exterminandum ob formam, alterum ob usum, si quidem Cicero verbum sine regimine cum irrisione quadam usurpatum non probat. Deinde damnaveris *nefandum* ut alienum a Cicerone. Nam ubi solum vox reperta est in oratione Miloniana (§. 72), eo loco dubitari non debet, *quin* antiquorum librorum constantisque usus Tulliani auctoritas potior habenda sit, quam doctrina grammaticorum. Probata est haec vox iis, qui sua scripta Ciceroni supposuerunt (de harusp. resp. 20, 42. ad Brut. 1, 10 a med. pro domo 51, 132. Cicero *infandum* quamquam mutatum interdum a librariis, ut de orat. 2, 322). Aeque culpandum est, quod *nimis* post eam vocem, ad quam pertinet, ponitur praeter morem Tullianum (si modo concesseris, verba, quae sunt in libro, qui Brutus inscribitur 77, 269, aliis defendi rationibus), quamquam collocatio non item iis displicuit, qui post Ciceronem res Romanas illustraverunt. Ita Sallustius (Cat. 51, 23): *grave nimis* et in dialogo de causis corruptae eloquentiae (12, 6): *fabulosa nimis*, similiterque Plinius in epistolis (6, 29, 10). Poetis plus licentiae in collocanda voce conceditur. Denique ipsa sententia, quae efficitur verbis *nefando nimis* a Ciceronis consuetudine magno opere recedit. At quid disputo in re nota et perspicua pluribus, quum alia sint diligentiore cura

tractanda? Procul dubio non minus erratum est, quum sic dicitur (p. 20, 5): *Sed ea, quae exaudio, dissimulare non possum.* Raro putavit Ernestius *exaudire* dici de fama. Assentior. Alii *audio* correxerunt; vere, si Ciceronis esset oratio. Neque enim exauditur quidquam, nisi quod inter confusas multas et varias voces aut tamquam ex abdito loco ad aures hominum penetrat. Quare, quia non aliud quidquam audiebatur a consule, nisi id, quod iaci affirmat, non convenit verbum sententiae sive famam interpretaris sive timidas voces senatorum. Errorem hunc alius error continuo excipit. *Ad ea,* inquit, *quae statueritis transigunda* (p. 20, 8). Qua participii forma Cicero non solet verba finire nisi formularum sollemnium. Ac dicitur quidem *transigere* sollemniter, sed in foro dicitur, non in senatu, ideoque vox aliena ab officio consulis hac saltem terminatione. Quis vero est, qui non verborum ordine offendatur legens (p. 21, 9): *quos ex multorum annorum dissensione huius ordinis ad societatem concordiamque revocatos hodiernus dies vobiscum coniungit.* Credo insolentia offensos eos, qui *ad huius ordinis societatem* scribentes optimos libros repudiarent. Utcunque explicas, sive *ad huius ordinis societatem* sive *ex dissensione huius ordinis* non efficitur structura Ciceroniana. Verum si culpanda sunt vehementer, quae tractavi, quid erit statuendum de iis, ad quae nunc pervenit disputatio? *Quos,* inquit, *quum hic dies frequentasset* (p. 22; 2). Plane singulare est *frequentare* sine ullo exemplo eiusdem significationis, nisi eo, quod debetur declamatori, qui orationem pro domo ad pontifices contexuit (c. 33). Satis est de hoc vitio dictum alio loco; et ad persimile peccatum oratio festinat, ubi haec (p. 24, 8): *Quare si quem commo*

vet . . ., lenonem Lentuli concursare circum tabernas. Memorabilis admodum significatio voci lenonis tribuitur eaque, ut videtur, assumpta potius ex consuetudine quotidiana quam ex sermone eruditorum. Nisi forte Iustinus ea auctoritate habeatur, ut periculum possit praestare. Qua vi accipienda vox sit, declarat Isidorus glossatorque *mediatorem* interpretantes; idemque videtur Iustinus (2, 3) scripsisse, aut a veterrimis librariis correctum esse. Leniore reprehensione notanda videntur haec *circum tabernas.* Cicero haud dubie *vicatim* aut *in vicis* dixisset, ut solet. Sic etiam Sallustius. Ac ratio id ipsum docet, primum quod clausae, deinde quod, quum essent circa fora (Quint. 6, 3, 38), praesidiis vigiliisque a consule essent occupatae et munitae, ut continua antiquitatis memoria traditur. Dixit orator id eo errore, quod opifices et tabernarios excitari solitos audiisset, idque non aliter fieri putaret, nisi emissarius inter tabernas versaretur. Deinde vereor, ut exemplo defendantur Tulliano (25, 3) *maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, nisi vero . . . genus hoc universum,* aut ea, quae antecedunt eadem verborum insolentia (p. 23, 8): *qui sua virtute fortunam huius civitatis consecuti hanc vere patriam esse iudicant,* aut quae sequuntur (p. 25, 7) *omne instrumentum, omnis opera ac quaestus frequentia sustentatur.* Nec ita multo post orator probavit significationem in verbo praecurrendi, quae ignoratur a Cicerone, non ab iis, qui post fuerunt (p. 27, 3). Apud illum enim verbo indicatur currere ante alium; Cornelius Nepos (8, 1, 3) Plinius (ep. 4, 15, 11) scriptor dialogi de causis corruptae eloquentiae (22) adiecerunt vim vincendi currendo ita, ut alium antevertas. Praeterea relegisse non poenitebit Cortii explicationem, qua

illustravit Plinium, perutilem novo vitio orationis detegendo. Poetice vero videtur contextum, quod sequitur (27, 11): *Mors omnibus est parata.* Neque enim apud scriptorem prosae orationis similis locus mihi suppetebat quaerenti, apud poetas facile inveniebam (Luc. 8, 32. Ovid. Metamorph. 10, 385). Ac postea si orator *Ceteris enim semper* scripsit, ipse viderit, quam recte; falsus est vero hoc loco *Cuius consilio Hannibal in Africam redire atque Italia decedere coactus est.* Non reprehendam, nimium esse ducta verba ac deesse ultima elegantius debere; satis erit argumenti in reliquis ad vituperandum. Dicitur quidem *provincia decedere* atque recte dicitur. Qui vero *Italia decedere* probaret, is quidem aliquis, Cicero non fuit, neque ullus bonus auctor latinitatis. Praeterea non laudaverim (p. 29, 18): *Memoria in hoc populo, sed etiam in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit* aut (p. 30, 4) *tantam conspirationem bonorum omnium perfringere* aut *pro hac, quam prospicitis, diligentia,* quo in loco etsi in libris impressis scriptura discrepat, in scriptis tamen concinit, deinde (p. 30, 14) *nihil a vobis nisi huius temporis memoriam postulo* neque *in vestris fixa mentibus.* Atque cui mirum videatur variari in libris, in quibus librarii conabantur ea, quae tam inusitate dicta essent, ut nihil posset magis, ad consuetudinem formamque Tullianam immutare.

Haec digna iudicavi, quae nominatim reprehenderem praetermissis aliis, ubi sententiam non confidebam satis muniri disputando posse. Ac si quis existimet, quod non nemo existimavit, collocationem hanc: *Quis enim est,* ut est in oratione (p. 16, 17 et alio loco p. 23, 3 in libro Erfurtensi legitur) non esse Tullianam, ego quidem puto mi-

nus refragraturus, si quis idem statuat de verbis *una peste, uno incendio, uno dolore* et quod saepe legitur *in pernicie*. Postremo ut opinor Cicero (p. 1, 7) *Ac mihi quidem si consulatus hac conditione datus est* et non multo post *tempestates* pro *procella* deinde (p. 30, 14) *nihil aliud a vobis*, ut est in libris, qui hodie vulgantur, scripsisset, si ab eo esset confecta oratio.

EXCURSUS

DE LEGE SEMPRONIA.

Etsi constitueram nihil dicere de lege Sempronia, de qua satis putabam disputatum a Manutio, Ant. Augustino, Hotomanno, Sigonio, Ernestio, Hauboldo, tamen non erit aliena disputatio et perutilis rationibus meis. Ac difficile est, rem tantam tamque praeclaram inchoatam relinquere. Sed ut verius statim hoc introitu disseratur, iam considere-mus, quo C. Gracchus consilio legem tulerit. Nec obscura quaestio est. Tiberio fratre Caii occiso P. Popilius Laenas consul crudeliter saeviit in amicos sociosque seditionis Gracchanae aliis in exilium exactis, praesenti morte affectis aliis. Quo id ad speciem iusti iudicii facilius efficeret, senatus auctoritate ex ipsis senatoribus iisque inimicis Ti. Gracchi coegit iudices, qui omnes, sicubi suspicio culpae appareret, cupide damnabant. Sed alta mente C. Gracchi consulis resedit crudelitas. Quam ut ulcisceretur, legem tribunus promulgavit, ne quis iniussu populi de capite civis Romani iudicaret, eamque legem incredibili plebis studio pertulit. Sententia vero haec fuit: Ne quis esset magistratus, qui iniussu populi iudicium cogeret, quo in iudicio de capite

civis iudicaretur. Sic quidem Cicero et Plutarchus auctores sunt, et eventus docet. Nam Popilius contra se latam legem intelligens desperata salute sua diffidens opibus amicorum solum vertit, et, si recte memini, ex Italia fugit. Praeter quem non invenio alium esse expulsum; quod si factum esset, C. Laelius, qui sapiens dictus est, non effugisset iudicium; atque C. Gracchus fortasse contentus exacto principe crudelitatis alium non incessivit.

Iam quidque videamus, quale sit, quod ex iis, quae diximus, consequatur. Primum lex in Popilium lata nullius nisi magistratuum potentiam circumscripsit; ac de privato nihil cautum est, quod is iudicium neque cogebat tenebaturque iis legibus, quae propius ad eum pertinebant. Tum lex constituta est de iis, qui iudicia exercerent, non de senatu. Denique comprehensa est lege iudicatio, non damnatio. Nec enim, ubi de capite quaerebatur, idcirco necessario damnatis vita erepta est, patuit etiam exilium. Quae quum ita sint, clare intelligitur, quam inscite mentio legis in oratione Catilinaria facta sit. Nam aut ad Ciceronem pertinuit aut ad neminem, ergo nullo pacto ad Caesarem; deinde consultatum est in senatu de coniuratis, non coactum iudicium, ut quaereretur. Profecto lex prohibuit neminem, ne in senatu explicaret sententiam. Tum commissa republica consulibus in tempus abrogata videri potest; postremo falso explicatur, quasi caveatur, ne quis iniussu populi morte afficiatur. Quod fortasse Porcia lex, non Sempronia vetuit (vid. Cic. pro Rabir. 4. Plutarch. vit. Ti. Gracchi c. 20. C. Gracch. c. 4. orat. pro domo 31, 82. in Verr. 5, 63. Vell. Pat. 2, 7).

Atque haec mihi veniebant in mentem, quae dicenda putarem de lege Sempronia, de qua longum est, eos convincere, qui inducti oratione Catilinaria parum recte senserint. Veterum locos accuratius excutiendos cuiusque committo industriae satis habens pauca addidisse de interpretibus. Ac Sigonius primum (de antiq. iur. R. p. 80 Thes. Graev.) de lege una duas leges fecit, deinde legem Porciam a C. Graccho relatam coniciens ex similitudine verborum, quae apud Gellium sunt quaeque ad legem vestutate obsolescentem renovandam retulit (qua in coniectura fortasse eum confirmavit Ciceronis sententia leges Sempronias memorantis), non vidit, verba pertinere ad suasionem, qua populum Gracchus ad civitatem dandam sociis cohortatus sit. Quod re ipsa intelligitur. Nam lex Porcia, qua-

tenus hodie indicari potest, vi atque natura sua et causa, de qua constituta est, rebusque, quas iubebat aut vetabat, magno intervallo dissidebat a lege Sempronia, eoque illa minus videtur a C. Graccho relata, quod hic contra P. Popilium solum legem tulit. Ita lege Sempronia nihil de provocatione, de verberibus, de nece continebatur, de quibus in lege Porcia agebatur, nec potuit contineri, quae tota ad iudicia pertinebat. Atque adeo illa lata est de magistratibus, haec in beneficium privatorum; illa potestatem magistratuum minuit, haec privatorum libertatem auxit. Neque opus est exemplis hoc facere longius, quia satis subtiliter inter utramque legem distinguitur a Cicerone. Quare non videtur Sigonius veram dixisse sententiam (cf. Cic. de rep. 2, 31. Guther de iur. pont. 2, 10). Ceteri damnationem putabant intelligi in eandem omnes sententiam explicantes praeter Moebium. Hic videtur (neque vero hoc dixi, ut arguerem, sed ne, ut fit, alieno errore ipse arguerer) in explicatione Plutarchum secutus non intellexisse praecise locutum neque liberum esse ab erroribus (C. Gracch. 4). Praeterea assentior Fergusono et Hegewischio legem existimantibus oblivione esse abolitam; id quod ego concludo ex verbis Ciceronis, quae sunt in oratione pro Rabirio (c. 4); neque vero cum iisdem viris doctis perversam ineptamque dixerim.

INDEX.

Ac 204. ante c. 207.
Accensi 129.
Accipiendum 204.
Aedes Concordiae 126.
Aerarium 126. 130.
Ampelius 146.
Amplius 12. 207.
Apophthegma 85.
Appianus 84. 91.
Arusianus Messus 218.
Asconius Ped. 97.
Attici liber 63.
Augustinus 181.
Ausonius 102.
Bellum Catil. 149.
Brutus 61.
Caesar 110. 153.
Cato 59. 82. 86. 154.
Censeo 19. 210.
Cethegus 140.
Charisius 101.
Cicero refert 196. 154. 80. 84. errat 107. orat. III in Cat. 147.
Clivus Capitol. 126.
Cogo, ut 8. 205.
Cognitor 207.
Computatio annorum 41.
Concionator 208.
Coniunct. et indic. 19. 23.
Continere 2. 205.
Crassus 152.
Dantes 82.
Decedere Italia 28. 215.
Deferre 204.
Dependere poenas 15.
Deponere voluntatem 205.
Deflagratum 209.
Dio Cass. 59. 86. 92
Electissimus 18. 209.
Enim 208. 213.
Equites 115. 119.
Exaudire 211.
Fatale 205.
Cn. Flavius 154.
Frequentare 211.
Fronto 129. 181.
Gabinianus 181.
Galliae prov. 158.
Gallio 181.
Gracchus 112.
Horatius scriba 150.
Isidorus Hispal. 102. 212.
Immanitas 209.
Iudiciis iudicare 205.
Iustinus 212.

Lactantius 102.
Leno 212.
Lentuli 143.
Lex Sempr. 109. Porcia 215.
Mors gravis et turpis 98.
Nefandus 210.
Nero 83.
Nicolaus Dam. 47.
Nimis 210.
Nisi et immo 25. 212.
Non nemo 13. 208.
Obtigit 204.
Oratio supposita 103. 173.
Parata mors 213
Parcere 203.
Phocas 101.
Plinius 121.
Plutarchus 36. 94.
Ponere formidinem 169.
Porcius Latro 103.
Praecurrere 212.
Praedicere 205.
Praesens pro imperf. 25.
Priscianus 101.
Proeresius 182.
Prolatare 206.
Pronominum usus 202. 208.
Prospicere 30. 213.
Prudentius 182.
Quaesitor 209.
Quintilianus 39. 96.
Quisque 10. 206.
Relatio 9. 60. 73.
Sallustius 87. 152. 156. 166.
Sarmentus 131.
Scholiast. Iuv. 131. Ambr. 37.
Scribae 126 et seqq.
Senatus 64. 72. 81.
Seneca 100.
Servi 123.
Summa consilii 117.
Sustentare 206.
Symmachus 182.
Tabernae 212.
Tarquinius 152.
Transigere 211.
Victorinus 102. 181.
Vindicare 13 208.

Addenda et Corrigenda.

Arusiani Messi poteram mentionem facere p 102 citantis p. 529 ed. Mai. verba orat. p. 18, 4. Emendanda haec sunt p. 3. v. 5 curulis — v. 30: acerrimum — p. 7 v. 18 rationi. — p. 13 v. 12 eritis — 13 v. 5 reipublicae — p. 17 v. 21 acerb. — p. 20 v. 21 librorum — p. 22 v. 32 lectulum — p. 27 v. 18 *est* supr. Erf. — v. 27 atque liber. — p. 33, 26 lecturi — 39 v. 4 quo — p. 47 v. 26 περιπόρφυρος — 59 v. 8 Silanum — p. 103 v. 31 oratione — p. 112 v. 1 Romanorum — p. 120 v. 39 ληκύθους — p. 126 v. 12 accurrisse — 132 v. 1 Sarmentus — Reliqua rogo, ut quisque, qui animadverterit, ipse corrigat.